Scholae Horatianae.

Carm. lib. I, 20.

Vile potabis modicis Sabinum
cantharis, Graeca quod ego ipse testa
conditum levi, datus in theatro
cum tibi plausus,
5 care Maecenas eques, ut paterni
fluminis ripae simul et iocosa
redderet laudes tibi Vaticani
montis imago.
9 Caecubum et praelo domitam Caleno
tum bibes uvam: mea nec Falernae
temperant vites neque Formiani
pocula colles.

Finxit Cruquius ex quibusdam scholiorum in Divaei codice reliquiis [1]) Maecenatem, cum in Apuliam profecturus esset, Horatio significasse se ei ante profectionem convivam esse velle: unde magnam probabilitatis speciem habere videbatur, Horatium hoc carmine respondisse gratissimum sibi fore hospitem, sed eundem aequi bonique facturum id vinum, cuius adponendi sibi copia esset. Quarum rerum nulla vera est [2]) atque satis memorabilis error, quod Maecenas Apuliam petiturus inferioris Italiae tetigerit praedium Horatii in Sabinis situm. Poeta Maecenatem ad se invitat. Mentio vini Sabini ostendit eum in Sabinis exspectari. Nam si statuimus Maecenatem tum in Tiburtina villa versatum esse, is poterat per Variam et vallem Digentiae quattuor horis in Horatii villulam pervenire. Eodem eum invitat ex urbe carm. III, 29.

1) Commentator Cruquianus, quem hodie omnes sciunt ab Jac. Cruquio compositum esse, nihil de illo itinere narrat. Gruppeus eius verba non videtur legisse.

2) Neque probabilior Luebkeri suspitio Horatium ad se vocasse potentem amicum, ut is primum vineae Sabinae fructum degustaret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Temporis indicium[3]) in eo est, quod vinum Sabinum a se conditum esse ait eodem anno, quo Maecenas in theatro populi plausu exceptus sit. Factum id esse constat eodem anno, quo Horatius arboris casu in summum vitae discrimen venit II, 17, 25. Ea vero calamitas, cuius poeta praeterea meminit II, 13. III, 4, 27, uno anno ante accidit quam carmen III, 8 scriptum est, cuius temporibus investigatis de reliquis facili negotio iudicabitur. Continet enim illud certissima temporis argumenta atque indicia. Scriptum vero videtur esse a. 725 (29 a. Chr.), ergo arboris casus factus est Kalendis Martiis a. 724. Eodem anno Maecenas gravi morbo adfectus et valetudinis gravitate levatus in theatro maxima populi acclamatione amicissime consalutatus est. Eo igitur anno scripta sunt carmina II, 13 et 17; eodem anno vinum Sabinum conditum, quod Maecenati poeta primum adpositurus est. Quare nihil iam superest nisi ut quaeramus de vini aetate, quae ad iustam temperiem adsequendam requiratur. I, 9, 7. quadrimum Sabinum bonae notae vinum est, quare vel quattuor annos praeteriisse statuunt vel tres vel duos, quia vile vocetur. Frankius vilitati inhaerens a. 730 (24 a. Chr.) carmen compositum esse contendit. At Galenus apud Athen. I, 27. inter vina Italica nullum commemorat, quod ante quintum annum bibi possit et de Sabino tradit: *πάντων δὲ τούτων ὁ Σαβῖνος κουφότερος ἀπὸ ἐτῶν ἑπτὰ ἐπιτήδειος πίνεσθαι μέχρι πεντεκαίδεκα.* neque soli anni vilis vini bonitatem augent. Cf. Adolfi Kieslingii nugas Horat. p. 6. Propterea non confidenter dixerim carmen a. 729 exeunte (cum Luebkero) vel 730 (cum Frankio) scriptum esse, neque de 726 (Kaercher) vel 728 (Ritter) vel 735 (a. 19) (Kirchner. quaest. Horat. p. 9. 31, Walkenaer hist. de la vie et des poésies d'Horace T. II, p. 202) persuasum habeo.

Et admirati sunt interpretes carmen, velut Jani „elegantissimum hoc odarion, inquit, in facillima simplicitate carminis subitarii[4]) magnas virtutes et colorem vere lyricum habet sive ideas sive elocutionem et conversionem plane delicatam spectaris.“ Omni laude cumulavit et butyro aesthetico oblevit Mitscherlichius: „In tam tenui argumento mirari licet artificium poetae, quo illud nobilitaverit. Sive enim sententias sive conversionis exquisitam urbanitatem sive denique elocutionis ornatum expendas, elegantiam eius atque in-

3) Franke fasti Horatiani p. 157. Lachmanni ad Frankium epist. p. 240. Mommsen. res gestae d. Augusti p. 96.

4) Inde manavit Walckenarianum illud II. p. 203 „cet élégant impromptu.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

genii vim et ubertatem facile agnoscas.“ A tantis laudibus plurimum discrepat iudicium Peerlkampii: „Longa disputatione et homine credere facillimo opus est, cui ostendere velis hoc esse urbanum, hic cerni ornatum elocutionis et elegantiam, ingenii vim et ubertatem. Sunt tamen qui ea cuncta adesse putent (haud scio an memor fuerit Mitscherlichii). Ego pro carmine scholastico habeo. Thema fuit: Horatius Maecenatem invitans, metro Sapphico.“ Versificatorem singula ex epistula quinta libri primi sumpsisse idem pronuntiavit. Quae contra Batavum criticum dixit Mueller. Quaest. Horat. p. 7, nihili sunt. Subtilius disputaverunt Freder. Luebkerus in commentar. Horat. p. 144, Ekius, professor Lundensis, in Vindic. Horat. 1850, Kaercherus in progr. Caroliruhensi a. 1850, cui inscriptum est: Ist die 20. Ode im 1. Buche ächt? et O. Kellerus in Mus. Rhenani vol. XVIII. p. 273. XIX. p. 212.; levius aliquanto Wissius Quaest. Horat. lib. VII. p. 27. Assensu vero suo Peerlkampiana comprobaverunt Moserus p. 21. „neque ego huic exercitio scholastico satis inepto patronus exstiterim“, et Paldamus in progr. Gryphiswaldensi a. 1847 p. 4., qui ineptam rerum exaggerationem earundemque coacervationem nullis sententiis aut imaginibus intermixtis temperatam cernit ac totius fere Italiae chartam vinariam, denique Gruppeus, qui cum in Minoe p. 112. totum carmen „geistlos, hölzern und ungeschickt“ appellasset, postea p. 280. tertiam tantum stropham male adsutam esse opinatus est. Etiam Meinekio complura restare videntur castigato poeta vix satis digna.

In tanta iudiciorum severitate singula accuratius exploranda erunt, ut denique non eximiam aliquam artem poetae inveniamus, sed summam simplicitatem, nativam nec transmarinis coloribus illitam elegantiam, festivum leporem[5]). Id si obtinuerimus, quaecumque a critico Batavo et sequacibus vituperata sunt, idoneum habebunt explicatum neque Horatio indigna videbuntur. — Veteres carmen pro Horatiano habuisse testantur Serv. in Georg. II, 59., Porphyrion et Pseudo-Acron scholiastae, Diomedes p. 522 K., Fortunatian. p. 325 Gaisf., Victorin. p. 116 Gaisf., Servius de metr. Horat. p. 468 K., ergo metrici scriptores omnes.

1. Poeta frugale sane hospitium, quo Maecenatem accepturus sit, initio declarat, dum vile Sabinum commemorat. nam crudum austerumque id vocat Plin. NH. XIV, 2, κουφότερον Galenus aqud Athenaeum.

5) Ad nostrae aetatis instituta ac mores accommodatum est carmen ab eis, qui id scidulae s. tabellis invitatoriis inscriptum fuisse opinantur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

At id non propterea adponit, quod, uti Meinekius statuit, hoc vinum febricantibus utile sit. „Cum Maecenas, inquit ille, fere quartana laboraret, prae ceteris vinis hoc genere delectari debebat i. e. leni vino nec febricantibus noxio.“ Profert is Galenum de salubr. victu vol. XV. p. 648 Lips. *κατὰ τὴν Ἰταλίαν ὁ ἄτονος σαβῖνος, ὃν καὶ διδόασι τοῖς πυρέττουσιν.* Tale quid cum hospiti non convenire videretur, Medenbach-Wakker. in Amoenit. litter. cap. 2 p. 11 coniecit dulce, ut contrariam sententiam poetae obtruderet. Intellegitur ignobile vinum, non vetustum, non pretiosum, quod nostri vinitores gering nominare solent.

2. Modicis cantharis. Quod Peerlkamp. tradit apud Diomedem p. 521 P. modice scriptum esse, falsum est; nam cod. Paris. A. praebet potauis modicis Sauino, Monacensis, quem idem praebere dicit Keilius meus[6]), versum hunc omisit (ipse comparavi optimum librum.) — Cantharus (*κάνθαρος*), quo proprie scarabaeus significatur, pertinet ad poculi genus, de quo multis comicorum locis allatis copiose egit Athen. XI. p. 473. Vas fuit ansatum maius[7]), cuius nomen ab heroe cognomine translatum esse ex veteribus docuerunt Lenormantius le héros Cantharus in Annal. dell' Instit. IV p. 311. et Letronnius supplément aux observat. sur les noms des vases grecs p. 13. Illud vero poculum maius erat, „ex quo, ut Peerlkampius ait, non bibebant nisi quis posceret, v. c. si subito laetum aliquid accidisset, vel modimperator iuberet, vel alia occasione, semper tamen praeter consuetudinem quotidianam. Et cantharus erat poculum, quo Bacchus utebatur[8]). Ideo notatus Marius Plin. NH. XXXIII, 53, 150. C. Marius post victoriam Cimbricam cantharis potasse Liberi exemplo traditur, ille arator Arpinas et manipularis imperator. Multibibi igitur, quibus modica pocula non sufficiebant, cantharis potabant.“ Quodsi propterea poetam vituperavit Peerlk., non perspexit Marium superbe ob victorias Baccho victori se aequiperantem notatum esse, nec reputavit diversae magnitudinis fuisse cantharos. nam Graeci deminutivo usi sunt *κανθάριον* et *κανθαρίδιον* (ita enim coniecit Meinekius in com. gr. III. p. 558. deest vocabulum lexicis); *παραθεῖναι ὡς μέγιστον κάνθαρον* Eubuli est in com. graec. III. p. 245. Et fuit cantharus in Horatii

6) Grammat. lat. vol. I. p. 522.

7) Verg. Ecl. 6, 17. et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

8) Macrob. Saturn. V, 21 scyphus, inquit, Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus. Arnob. adv. nat. VI, 25.— Christiani scriptores ita vocant vas in vestibulo ecclesiae collocatum, unde aquam sumunt intrantes. cfr. Pareus lex. crit. p. 165.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

supellectile Ep. I, 5, 23. et communem illius temporis morem argentei canthari Hildesiae nuper reperti testantur. Neque neglegendum est modicis: quod alii interpretantur de vulgaribus, testaceis (cl. Ep. I, 5, 2. Greverus in progr. Oldenburg. 1844 p. 9), quales rusticorum esse solent; Pseudo-Acron de parvis aut modum habentibus; alii referunt ad modicam poetae facultatem, qui non largam vini copiam habeat. At si Horatius vilis vini minimam copiam promitteret, nimiam proderet aut parsimoniam aut paupertatem. Recte epitheton additum est in vilitate vini, quo modum haberi vult poeta ob hospitis dignitatem et luxum.

Vino vili magnam accedere commendationem iocose indicat poeta cura, quam ipse in eo condendo posuit, et tempore, quo id fecit. Videtur vinum in Sabinis pressum esse, nam habuit Horatius vites et olivas Ep. I, 8, 5. 16, 3., etsi poetae vilicus illud vinum aspernatus est (Epist. I, 14, 23). Ego ipse Graeca testa condidi et pice vel gypso vel cera oblevi: „Ratio vini condendi, inquit Peerlkampius, et varia vinorum genera satis cognita erant ex Horatio. Graeca autem testa, si esse debeat Cumana, satis obscure dictum est.“ Sane in vasis fictilibus (ad ea enim pertinet testa) vina apud Romanos condita esse satis notum est; in usu maxime fuerunt a graeco artifice facta et ex ipsa Graecia vel ex Graecis Campaniae oppidis velut Cumis allata, velut apud Stat. Silv. IV, 9, 43 Cumano patinae in orbe tortae[9]). Inde, si antea nobilius vinum conditum erat, vilius vinum aliquid traxit suavitatis. Cfr. III. 14, 19. 21.

3. datus in theatro cum tibi plausus. Peerlkampius: „Lepide fictum. Romani non temere alicui applaudebant, nisi rem populo gratissimam fecisset. Talem rem historici sine dubio memoriae prodidissent, scholiastae ab antiquioribus interpretibus didicissent, qua de causa Maecenati singularis iste honos nunc (?) esset habitus tantumque ei studium plausu adeo vehementi declaratum. Tacent historici, tacent scholiastae.“ Dein profert comment. Cruquiani verba, quae fide carent. Rectius protulisset Porphyrionem: „Diximus et supra (ad I, 1, 7) claros et bonae existimationis viros plausu populi solitos fuisse in theatro excipi, malos autem sibilari.“ Pergit Peerlkampius: „Quod si verum sit, tum in illo plausu nihil admodum singulare erat. Si Maecenas frequens in theatrum ventitabat, non facile de antiquitate vini statueret.“ Certe non immemor fuit criticus

9) Conf. Dissen. in Tibull. p. 250. Interpr. Horat. Sat. I, 6, 118. Martial. XIV, 114.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Batavus eorum, quae carm. II, 17, 21 de eadem re tradita sunt, at id quoque carmen Horatii esse negavit, ut huius fundamentum convelleret Talem honorem rarum ac propterea insignem fuisse docet Tacit. dial. 13 populus auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque veneratus est sic quasi Augustum; et Plutarch Sertor. c. 4: *ἀπέδωκε δὲ καὶ ὁ δῆμος αὐτῷ τιμὴν πρέπουσαν. εἰςελθόντα γὰρ εἰς θέατρον ἐξεδέξαντό τε κρότῳ καὶ κατευφήμησαν, ὧν οὐδὲ τοῖς πάνυ προήκουσιν ἡλικίᾳ τε καὶ δόξῃ τυχεῖν ἦν ῥᾴδιον.* Dixit de eis plausibus Cic. Sest. 54, 115. et singulari libello Ferrarius de veterum acclamatione et plausu II, 15 (in Graevii thes. VI. p. 1.). Postea tantus honos principum proprius erat. — Mirum commentnm est Janii Horatium tamquam notam cado inscripisse eum diem, quo Maecenati plausus datus esset.

care Maecenas eques. Lambinus ad Carm. II, 20, 7. coniecit[10]) clare, et sic e cod. uno reg. societ. sine dubio legendum esse dixit Bentleius, „neque enim care eques tolerabile quidem est et multo minus eques sic nudum et epitheto destitutum.“ Bentleium secuti sunt Cuningamus, Sanadonus, Burmannus in Prop. III, 7, 2 p. 561, Wakefieldus, Haupt., Meinekius, Linkerus. Est enim illud claritatis epitheton equestris ordinis proprium, et Maecenas III, 16, 20 equitum decus vocatur. At id ipsum, quod Maecenas equestri dignitate contentus fuit, nudam appellationem commendat. Huius vero carminis sententia[11]), qua propior usus et intima cum hospite familiaritas proditur, postulat blandam et familiarem appellationem, ut II, 20, 7 dilecte, Epod. 1, 2 amice. Ea exempla probant carum Horatio intellegendum esse, non universo populo, uti visum est Christio et Gesnero, neque, uti Rittero nuper visum est, utrique.

Diutius moratur poeta in plausu describendo. Factum eum esse in theatro Pompeii tradit Porphyrion, quod situm fuit in campo Martio prope circum Flaminium, ut Tiberis haud procul abesset, remotior vero

---

10) „Quomodo clare Lambini lectionem esse dicere potuerit Sanadon., non assequor“, inquit Jani. Neglexit id, quod Lambinus l. l. dixit: „nisi forte illo loco legendum est Clare Maecenas“.

11) Horatius Maecenatem plerumque simplici nomine vocat; si epitheto utitur, utitur non alio nisi quod carminis argumento conveniat, velut Epod. 3, 20 iocose, 14, 5 candide, quo simplicitas animi extollatur, Epist. I, 19, 1 docte cl. carm. III, 8, 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mons Vaticanus. Et fluminis ripae et mons resonuerunt[12]). Quaesitum est multum de paterno flumine a Peerlkampio. „Dictu autem non facile, quid sit pat. fl. Maecenas, ut videtur, natus erat Areti vel in agro Aretino. Ibi repertus est herma illius marmoreus in antiqua sede, ubi stetit urbs Carseoli. Iam in illa Etruriae parte nobilissimus est fluvius Arnus, qui mediam regionem secat. Si igitur de fluvio agitur, qui recte diceretur paternus[13]) vel patrius Maecenatis, is erat Arnus, non Tiberis, qui Etruriam dextra modo ripa tangit.“ Nemo poterat de Tiberi dubitare, qui ab Etruria urbem influit. Horatius III, 7, 38 Tuscum alveum vocat, Lydius Thybris est apud Verg. Aen. II, 781. Ex Etruria Maecenatem oriundum esse nemo nescit. Ripae dextrae celsiores sunt, uti docemur carm. I, 2, 14. et prope iacet Janiculus, unde vox repercussa est.

iocosa Vaticani montis imago. Reprehendit Peerlkampius secundam syllabam in Vaticani esse correptam, quae ab aliis omnibus producatur; ab antiquo oppido Vatico id nomen duci. Uti eius oppidi nomen fictum est a noviciis historicis (nemo enim veterum commemoravit), ita falsum est, quod de antepenultimae syllabae quantitate pronuntiavit. Nam vulgo ita dicebant: postea Martialis (I, 19, 2. VI, 92, 3. X, 45, 5. XIII, 48, 14) et Juvenalis VI, 344. eam syllabam produxerunt. Adfert Orellius perversam grammaticorum opinionem (Festi et Gellii XVI, 17) nominis originem a vaticiniis repetentium. Neque probari potest Meinekii sententia praefat. p. XLII, excusari licentiam, quia vox alioqui versui sit inepta. Tale quid in bonum poetam non cadit. Omnino in locorum nominibus propriis vulgi mobilitati multa permissa sunt[14]). Similiter factum in prima syllaba Palatina; Horatius dixit moenia Catili, Statius dictumque lyra maiore Catillum; in Apulus u semper breviatur, in Apulia eadem vocalis intenditur; prima eius vocis semper habet a longum (nam III, 4 10 et 24, 4 incerta sunt).

Gravius posset videri, si recte idem Peerlkampius statuisset de imagine montis. „Echo appellatur vocis imago, ut Virg. Georg. IV, 50. vocisque offensa resultat imago[15]). Silius Ital. XIV, 365. tum voci-

12) Praetermiserunt interpretes hunc locum expressum esse a Claudiano de laudibus Stilichon. II, 402 sqq.

13) Vana est Schraderi coniectura paternae.

14) Cf. Lachmann. in Lucret. p. 37. L. Mueller de re metr. p. 353.

15) Adde Ovid. Metam. III, 385. alternae deceptus imagine vocis. Lucret. IV, 575 interdum frustratur imagine verbi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus aequor personat et clamat scopulis clamoris imago. Graeci vocant *εἰκόνα στομάτων*". Etiam simpliciter echo vocatur imago eius soni, qui ex additis verbis facile intellegitur, ut I, 12, 4. Valer. Fl. III, 596. Rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat Avia; responsant silvae et vaga certat imago. Auson. Epist. 25, 9. redit et nemorum vocalis imago. Atque adeo apud scriptores imaginem in vulgari sermone reperimus sine additamento vocis, quia Latini proprio vocabulo de voce repercussa caruerunt, velut apud Cic. Tusc. disp. III, 2, 3. gloria virtuti resonat tamquam imago. Varro de re rust. III, 16, 12. apiaria secundum villam ponenda esse docet, potissimum ubi non resonent imagines, hic enim sonus harum fugae causa existimatur esse. Quod deinde Batavus homo notavit: „nemo umquam echo appellavit imaginem montis, silvae vel saxi. Neque dicere potuit, nam hoc esset imago vocis montis", ea in re criticus non satis consideravit Ausonianum illud: vocalis nemorum imago, vel Columellae IX, 5, 6. nec minus vitentur cavae rupis aut vallis argutiae, quas Graeci *ἠχοῦς* vocant, ubi vox ex illis locis repercussa vel in eis habitans significatur. Echo[16]) pertinet ad Janiculum, collis Vaticani partem theatro oppositam.

Bothius post imago interrogationis signum posuit, ut quasi cum contemptu praemitteretur quaestio, qua invitans poeta modestam vini notam detrectaret. Sed vix urbanum esset Sabinum a convivio excludere blandis verbis commendatissimum. V. Herrmann. curae Horat. in progr. Cellensi p. 8.

9—12. Extrema stropha maxime displicuit Peerlkampio: „bibis postulabat sententia, bibes flagitabat metrum." idque interpretatur: Apud me Sabinum bibes, quamvis apud te bibatur Caecubum. Miro enim artificio se torserunt in hoc loco explicando. Sanadonus addit: si tecum afferas; Mitscherlichius: bibas licet pro: parata habes vina ista quae bibas, ego non item; Orellius futurum imperativi paulo urbanioris loco poni ait[17]): tu bibito, tuum est bibere; quod ut assequeretur, Bosscha proposuit bibas; Ritterus et alii nostratium more: Du wirst wohl Caecuber gewohnt sein?, Caecubum te plerumque bibere suspicor — nova plane futuri temporis

16) „Hodieque notant, qui in eo colle et declivitate versantur, ad vocum strepitum horologiorum et nolarum sonum. Ipse expertus sum." Car. Fea.

17) Eandem sententiam Theodorus Obbarius Samuelis filius exemplis minime idoneis confirmare studuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

significatione. At recte Peerlkampius „non intelligo, inquit, vim huius oppositionis. Tu quotidie bibis Caecubum et Calenum, ego habeo nec Falernum nec Formianum.“ Quamquam id ipsum admirari videtur Mitscherlich. tamquam ornatum e variata oratione, talis tamen variatio, cuius patrocinium Herbstius suscepit exemplis alienissimis prolatis, prorsus naturae et venustati repugnat, si poeta, cum aut eandem speciem repetere deberet: ego nec Caecubum nec Formianum habeo, aut genus substituere: tam pretiosa vina non habeo, aliam ac novam potius speciem eiusdem generis suggerit. Huic difficultati non medetur Withofii coniectura (krit. Anm. I. p. 16) Caecubum — tute habes uvam, neque Froehlichii in progr. Monac. anni 1837 p. 7. Caecubum et praelo domitum Caleno tu bibis vinum, qua praesens tempus a metrico errore tuebimur, neque Schwenckii in Diar. antiqu. stud. 1839 p. 623 non bibes, quod quomodo obtrudi potuerit nemo assequetur. Lenissimo remedio sanavit Doederlinus, qui postquum emendavit tum bibes, desperatissimo morbo gnaviter opitulatus est. Sic enim res habet: invitatur Maecenas ad id ipsum, ut vinum ab Horatio conditum apud Horatium bibat, vile illud quidem sapore, sed propterea pretiosum, quod eo anno, qui Maecenati memorabilis et alterorum natalium instar esse debebat, conditum fuerat. Quod vinum postquam modicis cantharis bibit Maecenas, hospes haud dubie fastidiosus, tum demum nobiliora vina promittit Horatius, nominans et ea genera, quae possideat, et ea quae non possideat, Falernum et Formianum. Et illo invento gavisum esse Doederlinum non miramur et facile crebram eius repetitionem excusamus. Primum id protulit vir doctus in Nuntiis libror. Monac. anno 1836 p. 202, deinde latino sermone copiose explicavit in Welckeri Mus. Rhen. vol. V, p. 598, quae commentatio repetita est in Scriptor. vol. II. p. 213, denique in progr. Erlangensi anni 1853 p. 7. Ignoravit vero idem legisse videri iam Porphyrionem scholiastam, cuius ad sat. II, 2, 48 haec sunt: Quid? tum figura nota apud Horatium transeundo ad rem aliam — ut Caecubum etc.,“ quamquam vel recentissimi scholiastarum editores Pauly. et Hauthal, tu ibi servarunt. Nec aliena est particula a carmine, id quod ex carm. III, 28, 11 tum curva recines lyra Latonam apparet. Assensi sunt Doederlino Haupt. Meinek. Linker. Pauly. Kaercher. Keller al. Contra eum dixerunt Orell. Anal. p. 9, Hermann. Curarum Horat. p. 8, Froehlich. in progr. Monac. (1837) p. 5, Kellerus in Mus. Rhen. vol. XVIII, p. 273 (postea idem probavit), Chr. Herbstius in edit. p. 146. — Similis fere scaena in cena Nasidieni Sat. II, 8, 15 occurrit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Caecubum. In aliquot codd. deterioribus Caecubam, ut pertineat ad uvam, quod Sanadon., Janius, Zeunius praetulerunt, ne hoc vinum simpliciter nominaretur, cum cetera genera poeta ornate extulisset. Sed ne in illis quidem ullo ornatu opus erat, quia nomen dignitatem satis indicat eius vini, quod in generosissimis numeratur ab Athenaeo et cui Plinius principatum dat[18]). In Caecubo agro Latii inter Fundos et Tarracinam crevit. Meminit eius poeta I, 37, 5. II, 14, 25. III, 28, 2. Epod. 9, 1, 36. Sat. II, 8, 15.

praelo domitam Caleno uvam. Expressit ex nostratibus Ramlerus p. 83.: den Hochheims edle Kelter zwang. Cales est Campaniae oppidum, hodie Calvi. Uti h. l. instrumentum notavit celeberrimo oppidi nomine, ita I, 31, 9 Calena falce premere et IV, 12, 14 pressum Calibus Liberum. De dignitate testis est Plinius NH. XIV, 8, 65. Uva pro vino apud Juven. V, 31. calcatamque tenet bellis socialibus uvam i. e. servat; contra vinum pro uva apud Plautum. Trin. 526. tum vinum prius quam coctumst pendet putidum.

Falernae vites. Plin. Nat. Hist. XIV, 8, 62. secunda nobilitas Falerno agro erat et ex eo maxume Faustiano. Strabo V, 4, 3. *καὶ μὴν τὸν οἶνον τὸν κράτιστον ἐντεῦθεν ἔχουσι Ῥωμαῖοι τὸν Φάλερνον καὶ τὸν Στατανὸν καὶ Καληνόν.* Falernum vinum subflavi coloris (nigrum vel fuscum appellant poetae) odorem gratum vel e longinquo diffundebat. si austerum vocatur, novum est, nam austeritatem decem per annos post vindemiam servabat, tum dulcius fiebat et in suavissimis Italiae vinis numerabatur. ardens est II, 11, 18. Caecubum et Falernum incuria colonorum et angustia loci interciderunt, unde factum est, ut plerique Formiano primum locum tribuerent. Iam Horatii aetate pluris aestimatum est quam vina externa, quare in parte cellae vinariae interiore servatur (II, 3, 8) vel in apothecae parte superiore (III, 21, 7) idque ducere divitibus tantum contigit (III, 1, 43). Propter exiguam eius copiam in agro non ita magno progenitam saepius accidit ut vitiaretur et suppositicium pro genuino venderetur. Hendersonus comparavit cum vino Madeirensi; nam solum eius insulae cum solo Campaniae partim calcario partim tofaceo optime convenit. Hodie cultura neglecta bonitatem amiserunt ea vina[19]).

---

18) Nomen vinum non additum I, 1, 19 Massicum, I, 37, 5 Caecubum, II, 11, 19 Falernum, Sat. II, 8, 15. Chium, al.

19) Rem bene explicavit Fr. Weber disp. de vino Falerno. Marburg. 1856. 4.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hoc vinum Horatius maxime nobilitavit I, 27, 9. II, 3, 8. 6, 19. III, 1, 43. Sat. I, 10, 24. II, 2, 15. 3, 115. 4, 25. 8, 16. Epist. I, 14, 34. 18, 91; item Juvenalis Sat. 4, 138. 6, 148.

vites, quae in campo collocantur, opp. collibus, vineis

Formiani colles. III, 16, 34. Laestrygonia amphora. Fuit municipium Latii in Auruncis prope Caietam, hodie Mola di Gaëta. Ordo est: mea pocula non temperant — Formiani colles: quibus verbis poeta ea vina se habere negat. — temperant pocula. „Quod quam latinum sit, inquit Peerlk., alii videant. temperare significat alicui rei nimiam vim adimere. Vinum temperatur aqua, nisi quis dicat frigus aquae temperari vino. Sed hoc frigidum est. Recte dixisset: fontes mea pocula temperant. Vites implent.“ At in ea re licentia est poetarum, ut I, 17, 22. pocula duces. Praeterea temperare in miscendi significationem transiit, velut Epod. 17, 80 desiderique temperare pocula. Ita temperantur unguenta, collyria, venena, medicamenta. Proprie vinum temperatur aqua admixta, dein pocula temperantur vino infuso, denique audacius vites et colles temperant, dum vina praebent temperanda. Temperantur vero aqua vel calida, unde tepefiunt, vel frigida vel nive, ut hodie fit glacie in vinis Rhenanis atque Campanicis.

Carm. I, 30.

O Venus regina Gnidi Paphique,
sperne dilectam Cypron et vocantis
ture te multo Glycerae decoram
transfer in aedem.
5 Fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

Carmen quia versatur in precibus ad Venerem missis, ut una cum comitibus ad Glyceram se conferat, ad carmina evocatoria referendum est. De eo genere accurate praecepit Menander rhetor in *διαιρέσει τῶν ἐπιδεικτικῶν πρὸς Γενέθλιον*, ubi *περὶ τῶν ὕμνων τῶν εἰς τοὺς θεοὺς* agit Tom. IX. p. 132 ed. Walz. T. III. p. 333 ed. Spengel. Distinguuntur ibi *οἱ μὲν κλητικοί, οἱ δὲ ἀποπεμπτικοὶ καὶ οἱ μὲν φυσικοί* cet., dein de *κλητικοῖς*, qui primum in variis hymnorum generibus locum tenent, praeci-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

piuntur haec: *κλητικοὶ μὲν οὖν ὁποῖοί εἰσιν οἱ πολλοὶ τῶν τε παρὰ τῇ Σαπφοῖ ἢ Ἀνακρέοντι ἢ τοῖς ἄλλοις μετρικοῖς κλῆσιν ἔχοντες πολλῶν θεῶν,* ac singulari capite docetur, deos ex multis locis evocari, veluti Venerem *Κύπρου, Κνίδου, Συρίου, πολλαχόθεν ἀλλαχόθεν*, in quibus describendis poetae saepe, raro scriptores versentur. Gravissimi huius loci G. Bernhardium in hist. litt. gr. II. p. 561. non immemorem fuisse in exquisita summi viri doctrina non mirum est. Ex melicis Graecorum poetis huc pertinet Anacreontis fr. 2. p. 1012 Bergk. (Anacreont. p. 76), ubi Bacchum cum comitibus is implorat, ut ad Cleobulum puerum eximia pulchritudine insignem apud Polycratem tyrannum veniat, cuius amore Anacreon vehementissime arsit. Sapphonis est hymnus in Venerem p. 875, item Alcmanis in Venerem, cuius fragmentum est apud Strabonem (p. 541. 13) *Κύπρον ἱμερτὰν λιποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν.* Ex Horatianis apte comparabitur IV, 1, 7, ubi Venus in Paulli domum deducitur[20]).

Dum poeta deam in Glycerae domum vocat, suum erga puellam amorem tenerrime declarat. Ab ea simplicitate abhorrent interpretum artificia, qui de sacello quodam privato Veneris sollemniter a Glycera dedicato et de sacrificio ibi instituto cogitantes non videntur reputasse, quae libertinarum Romae condicio fuisset. Ac libertina fuit Glycera, cuius pulchritudine moribusque commodis captum se esse profitetur I, 19, 5. III, 19, 28[21]). Glyceram Horatianam eandem cum Cinara esse opinantur, cuius verum nomen, postquam ea e vita decessit, non reticuit IV, 1, 4. 13, 21. Ep. I, 7, 28. 14, 23. Sane syllabarum ratio in ficto nomine et vero concordat[22]). Temporis nulla indicia sunt, quare Ritterus a. 725, Frankius a.729 vel 730, Kirchnerus a. 731. carmen adsignaverunt.

Totum carmen damnavit Peerlkampius his argumentis ductus: Venus, Cupido, Gratiae, Nymphae, Iuventas et Mercuri, ite ad domum Glycerae. Glycera te vocat ture multo, o Venus. Exile et ieiunum argumentum. Neque explicatur, quare veniat aut cum tam lepido comitatu. Carmen ex centonibus Horatianis compositum[23]).“ Qua in argumentatione quod

---

20) Singulari libello edidit J. Georg. Eccius (Lipsienses Eckium appellabant) periculum interpretationis carm. XXX lib. 1 Horatii, Lips. 1804 4.

21) Quae Glycera I, 33. memoratur, Tibulli est non Delia, sed Nemesis, ut videtur.

22) Weichert. Reliqu. poett. Lat. p. 412.

23) Neque Gruppeus neque Martinus hoc carmen attigerunt, assentatorem vero habuit Peerlkampius Moserum Ulmensem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de tenuitate dictum est, non quit negari (quis enim praedicaverit hodie melleam dulcedinem vel mollem versuum structuram), sed Graecorum κλητικὰ similia habent Singuli comites cur Veneri adiuncti sint, deinceps docebitur. Denique nullus Horatii locus in promptu est unde aliquid depromptum esse recte demonstrari possit. Ex veteribus grammaticis carmen noverunt Probus p. 229. et Diomedes p. 523. Defenderunt carmen Wiss. Quaest. Horat. libellus VII. p. 28. Bernhardy in Annal. crit. Berol. a. 1835. nr. 92. Mueller. Quaest Horat. p. 7. Keller. Mus. Rhen. p. 211, qui lepide ait: Bei einer Hetäre gewöhnlicher Sinnesart darf doch unter allen Göttern der des Geldbeutels am wenigsten fehlen. Bei Gl. werden die Grazien wohl ihren Grund gehabt haben unbekleidet zu erscheinen; denique L. Gesell. de interp. mythol. p. 1.

Imitationem graeci alicuius poetae vel Sapphonis vel Alcmanis carmen hoc esse statuerunt, qui omnino Horatium[24]) graecorum poetarum comparatione illustrandum susceperunt, uti gallicus interpres Poinsinet de Sivrey (Paris. 1777) et ex nostratibus Henr. Wagner (Hal. 1777) et nuper Henr. Herm. Garcke (Hal. 1860) p. 174.

Primum dea vocatur verbis maxime idoneis et omne eius numen exhaurientibus: regina Gnidi Paphique. Ita Venus III, 28, 13. quae Gnidon fulgentesque tenet Cycladas et Paphon iunctis visit oloribus. In libris aliquot Gnidi, velut in Parisino Diomedis gnidis baphique, in Monacensi cnidi paphique, et in codd. Horatii Helvetiis, quare nuper Kellerus restituit. Apud Graecos scriptores *Κνίδος* frequentius est quam *Γνίδος*; at Latini ante vocales et liquidas maluerunt tenuem mutare in mediam. Cf. Corssenus de pronuntiat. l. l. I. p. 41., de formis p. 53. Similiter Gnosius, de quo dixerunt Wagner. in orthogr. Verg. p. 439. et Peerlkamp. in Horat. carm. p. 60. — Cnidus est Doridis urbs in Caria, ubi Venerem sanctissime cultam esse tradit Pausan. I, 1, 3. Ibi signum deae a Praxitele ad Phrynes exemplum sculptum[25]), cuius illustrissimi operis celebratissima imitatio est Venus Medicea. — Additur Paphos Cypri oppidum et ipsum Veneris cultu (Tacit. Hist. II, 2) celebratissimum. Regina[26]) vocatur, uti apud Graecos *θεοὶ ἐγχώριοι* vocantur *ἄνασσα, δέσποινα, μεδέουσα Κνίδου*; similiter Diana *Αὐλίδος ἄνασσα* apud Eurip. Iphig. Aul. 434.

sperne dilectam Cypron. Hinc Venus I, 3, 1 potens Cypri,

24) Ex nostratibus poetis ter, si recte memini, hoc expressit Ramlerus.
25) Cf. Broukhus. in Propert. p. 117.
26) Cf. Broukhus. in Propert. p. 422.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III, 26, 9. o quae beatam diva tenes Cyprum. Ea autem insula tum ob natales, tum ob sacra, quae summo cum apparatu celebrabantur, deae cara erat. Similiter Verg. Aen. I, 415.

ipsa Paphum sublimis abit sedesque revisit
laeta suas, ubi templum illi centumque Sabaeo
ture calent arae sertisque recentibus halant. —

et alia domicilia idem memorat X, 51. est Amathus, est celsa mihi Paphus atque Cythera Idaliaeque domus. Alcman ubi Cyprum et Paphum coniunxit, morem poetarum partem cum toto componentium secutus est. Homero est *Κύπρις* et Hesiodo *Κυπρογενής*, in Odyssea *Κυθέρεια*. Vituperat locutionem Peerlkampius male expressam ex I, 9, 9 in me tota ruens Venus Cyprum deseruit: „Jam Venus, inquit, spernit Cyprum, si non amplius ei placet Cyprum habitare, sed sedem mavult transferre in aedem Glycerae, ut Juno (Verg. Aen. I, 16) posthabita Samo, Samo spreta, se transtulit Carthaginem. Mutatio insulae cum tanta urbe tanti imperii credibilis est, mutatio insulae cum una aede incredibilis. Mirum porro regina Cnidi Paphique linque Cypron, quia Cnidus non in Cypro. Melius nominasset duo oppida in Cypro.“ At ille immemor *τῶν κλητικῶν* et coacervationis locorum. „Si poeta, pergit, non perpetuam sedem Veneris in aede Glycerae voluit, sed in brevissimum modo tempus, ut adesset sacris a Glycera faciendis, additum oportuisset aliquid, unde mora haud diuturna intelligeretur. Nunc non opus erat, ut propterea sperneret Cyprum eamque dilectam, quo statim peractis sacris reverti posset.“ Omnis igitur critici dubitatio ex spernendi vocabulo manavit, sed id, ne de prisco more dicam vel Ennii vel Plauti, qui segregandi vel separandi significatu illud posuerunt, dicitur de eo, qui aliquid alii rei postponit, et contrarium est amare de eis, quae praeferimus. — Initium carminis expressum videri partim ex Alcmane, partim ex Aeschylo, ex quo haec adducantur *Κύπρου Πάφου τ' ἔχουσα πάντα κλῆρον*, dicit Muret. Var. Lect. X, 19, sed versum illum Archilochi potius videri demonstravit Meinekius in Vindic. Strab. p. 103.

Rogat igitur deam, ut relicta Cypro veniat in aedem Glycerae vocantis te ture multo. Uti Graeci dicunt *καλεῖν*, *κικλήσκειν* de invitante et invocante, ita IV, 1, 8. abi quo blandae iuvenum te revocant preces. Verg. G. I, 347. et Cererem clamore vocent in tecta. Claudian. consul. Probi et Olybr. 195. sacro ture vocatam Junonem Inachiis oculos advertere templis. Columell. X, 430.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et te Maenalium, te Bacchum teque Lyaeum
Lenaeumque patrem canimus sub tecta vocantes.

Multo ture vocatur Venus. Nam tura in quovis sacro, etiam Veneris adhibita esse multis veterum testimoniis constat. Ita Sabaeo ture apud Verg. Aen. I, 416. et Horat. I, 19, 14. hic verbenas, pueri, ponite turaque; IV, 1, 21. illic plurima naribus duces tura. Temeraria est Cuningami suspitio: te multum Glyc. decoram tr. in aedem, ut coniungantur multum decoram. Apud eundem V. D. nescio quis coniecit multo te, qui non ad vocantis, sed, quia commate distinguit post ture, ad decoram retulisse videtur.

decoram transfer in aedem. Porphyrion et Acron de aede Veneri dedicata acceperunt idque probans Lambinus de sacello a Glycera dedicato intellexit. Idem probavit Bentl. in Ep. II, 2, 92. p. 648. Argutius nonnulli interpretes, uti Eckiuset Moench. in progr. Isleb. a. 1833. p. 6, opinantur poetam domum amicae pro templo Veneris habuisse, ut amantes sua mirifice extollunt. At obstat genetivus Glycerae additus, obstat comparatio loci simillimi IV, 1, 9. tempestivius in domum Paulli—commissabere Maximi. Dicitur sane aedis[27]) vel aedes singulariter et aedicula de templo, eadem vero vocabula de pluribus templis pluraliter apud Cicer. Verr. act. I, 4, 12. de orat. III, 46, 180. Horat. carm. III, 6, 3 aedes labentes deorum, quo loco docemur dei nomen genetivo casu additum esse, velut Jovis, Martis, Veneris genetricis, Castoris, aliorum[28]). Quod si neglectum est, partim excusatur eo, quod cuius dei templum sit facile intellegitur, velut apud Horatium Sat. I, 10, 38. quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa et Epist. II, 2, 94. vacuam Romanis vatibus aedem, partim reprehenditur propter obscuritatem, ut Liviana ille XXVI, 19, 5 nullo die prius ullam rem egit quam in Capitolium iret ingressusque aedem consideret, nam praeter Jovis aedem aliorum quoque Deorum templa in Capitolio erant. Servavit Servius in Verg. Aen. II, 512 Varronis doctrinam: omne aedificium aedes dicuntur, sed Varro locum quattuor angulis conclusum aedem docet vocari

27) De terminatione, quam Prisciano T. I. p. 352. restituit M. Hertzius et quae occurrit saepius, cf. Drakenborch. in Liv. IV, 25, 3 et Brambach. orthogr. p. 147.

28) Hinc praepositiones ad, in, ab deorum nominibus praemittuntur, aedis vocabulo omisso, de quo usu saepe dixerunt interpr. Liv. I, 41, 4. II, 51, 2. III, 55, 7. X, 23, 13. Manut. in Cic. Epist. fam XIV, 2. Heindorf in Horat. Sat. I, 9, 35. Kritz. in Sallust. Catil. p. 230.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

debere, quae scriptorum locis confirmatur, ubi de domicilio simplici atque unius aditus, de quovis conclavi positum reperitur. Exempla praebet ex priscis Plautus Asinar. v. 220. Trucul. II, 8, 8, ex posterioribus e. c. Curtius VIII, 21, 3. 22, 13. Hinc Dissenus in Tibull. p. 197 haec de atrio Glycerae accepit, adductus Tibulli verbis I, 10, 20 stabat in exigua ligneus aede deus[29]). — Quid decoram? quaerit Peerlkamp. et respondet: „epitheton metri causa adiectum videtur.“ At belle ornatum fuit domicilium Glycerae ad deam excipiendam.

In altera carminis parte comitatum describit, quocum Venerem ad Glyceram venire cupiat. Primum nominat fervidum puerum, Cupidinem, ab amoris fervido affectu, quem aliis inspirat, tum ab ipsius indole vivida et agili. Noli cogitare de face (ita interpretantur Moench. l. l. et Lenhoff. in progr. Neo-Ruppin. a. 1858. p. 9.), quam ad ignes in amantium animis accendendos *πυρφόρος* is gestare dicitur. *ὁ δριμὺς Ἔρως*, cui *ὄμματα δριμύλα καὶ φλογόεντα* tribuuntur a Moscho I, 8, voltus flagrantes a Verg. Aen. I, 710.

Post Cupidinem Gratias nominat solutis zonis, quae cum nymphis in Veneris comitatu sistuntur I, 4, 5. IV, 7, 5. Praeivit Homer. *ϑ*, 364[30]). Vituperat epitheton de zonis solutis[31]) petitum Peerlkamp.: „parum honeste, praesente Mercurio et Iuventa, de virginibus, quae non sine dedecore zonam solvunt.“ Falso pudoris studio non nudatas[32]), sed ad illecebras imaginationis augendas neglegenter vestitas Gratias alii maluerunt, quae pellucidis ac defluentibus tunicis indutae sunt in monumentis antiquis. Ita Seneca de benef. I, 3. tres Gratiae sorores manibus implexis, ridentes, iuvenes et virgines, solutaque ac pellu-

29) Quod praeterea affertur Ovid. Metam. XV, 842. forum divus ab excelsa prospectat Iulius aede, emendatum est arce, quia caelum significatur; Vellei. Pat. I, 11. Romae aedem ex marmore molitus non de privatis aedibus, sed de templo dictum est. Cf. Neue, Formenlehre I. p. 450. Heusinger observat. antibarb. c. 3. Grammaticorum illud aedem numero singulari de templo tantum dici, quod certatim decantaverunt Serv. in Aen. II, 487. Charis. p. 33. Diomed. p. 327. ed. Keil., nihili est.

30) Cfr. Welcker. Goetterlehre III. p. 200.

31) De more zonae solvendae s. recingendae egerunt Ruhnken. dictat. Ovid. Her. p. 16. et Huschk. Anal. litter. p. 67.

32) Inepte et allegoricam interpretandi rationem secutus Porphyrion ait: quia amici animos solutos ac nudos inter se habere debent. Idem commentum a Pseudo-Acrone repetitum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cida veste. Sunt Gratiae ἀχίτωνες[33]) i. e. investes. Prisco sane tempore vestitae fingebantur, sed postquam Venerem nudam Graeci artifices sculpserunt, Gratiae quoque nudae factae sunt. Nulla igitur inest dedecoris nota. In codd. aliquot Parisinis est nodis pro zonis. — Nymphae, uti II, 8, 14, cum Cupidine sociatae sunt; cum Gratiis apud Goethium II. p. 132.

Properentque. Est collocatio ita facta quasi bis adesset verbum. Ita explicaverunt eam structuram Gesner. in II, 19, 28. et Dissen. in Tibull. p. 21[34]). Ritterus hyperbaton esse statuit, fortasse Heindorf. in Satir. I, 6, 43. secutus; Dillenburgerus suam ἀπὸ κοινοῦ structuram huic quoque consuetudini explicandae adhibet. Amant poetae verbum duobus orationis colis commune in principio secundi ponere, licet oppositio in substantivis sit. Ita II, 19, 32. tetigitque, III, 4, 11. fatigatumque, III, 26, 3. defunctumque, Sat. I, 6, 43. 44 concurrantque — vincatque, II, 3, 182. perdasque; particula ve ita collocata est Carm. II, 7, 25 curatve, Sat. II, 3, 157. pereamve; praetera ne Sat I, 8, 2. Neque vero verba solum ita collocantur, sed etiam substantiva duobus membris communia et adiectiva, ut I, 12, 15 variisque, II, 19, 28 mediusque, III, 1, 12. meliorque, atque etiam particulae, ut Sat. I, 4, 17. quod, Epod. 2, 50. magis. — properare similiter III, 14, 21 dictum est; maturare II, 11, 23.

7. et parum comis sine te Iuventas. significat iuvenes sine rebus venereis et amatoriis severiores ac tristiores esse quam deceat eam aetatem. nam comis est blanda, sociabilis, non venusta et elegans. Rem illustrat Xenoph. Conv. 1, 10. οἱ δ' ὑπὸ τοῦ σώφρονος ἔρωτος ἔνθεοι τά τε ὄμματα φιλοφρονεστέρως ἔχουσι καὶ τὴν φώνην πρᾳοτέραν ποιοῦνται καὶ τὰ σχήματα εἰς τὸ ἐλευθεριώτατον ἄγουσιν. Iuventas est dea iuventae, quam, cum Graecorum litteras cognovissent Romani, coniunxerunt cum Graecorum Hebe. Cic. Tusc. I, 26, 66. non enim ambrosia deos aut nectare aut Iuventate pocula ministrante laetari arbitror; de deor. natura I, 40, 112. ac poetae quidem nectar ambrosiamque epulis comparant et aut Iuventatem aut Ganymedem pocula ministrantem. Ac ludi Iuventatis, quos M. Livius Salinator Senensi praelio voverat, memorantur in Brut. 18, 73. Sed prisca illa Iuventas in

33) Cf. C. A. Boettiger. Aldobrand. Hochzeit p. 146.

34) Tibulli exempla collegit Broukhusius p. 347. qui eum particulae usum illi poetae peculiarem esse perperam statuit. De Horatio disputavit Herbst. Lect. Venus. part. II. p. 6., conf. praeterea Haupt. observ. crit. p. 42.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Capitolio culta cum Iove[35]), cui sumpta virili toga iuvenes supplicationem faciebant; anno 193 altera aedes in circo maximo, sub Augusto tertia in Palatio consecrata est. Uti plerisque locis quondam Iuventutis scribebatur, ita h. l. deteriores libri praebent Iuventus. At dea Iuventas appellatur (Serv. in Verg. Aen. I, 594.) ac figurate pro aetate ponitur, cuius ipsa tutelam gerit, ut Carm. II, 11, 6. IV, 4, 5. Epod. 17, 21. Deam Iuventam dixit Ovid. Met. VII, 241. Epist. ex Ponto II, 10, 11[36]); denique iuventus vel aetatem iuvenilem vel eos, qui in ea aetate versantur, significat.

Mercuriusque. Peerlkampius: „Nemo, inquit, probabilem causam attulit, cur hic Mercurium esse voluerit comitem Veneri. Metrum, credo, effecit.“ Alii putant eum Veneri adiunctum esse propter calliditatem, qua maxime in amatoriis rebus opus sit, plerique propter facundiam et blanditias[37]). Tradit euim Plutarch. Coniug. Praec. prooem. *οἱ παλαιοὶ τῇ Ἀφροδίτῃ τὸν Ἑρμῆν συγκαθίδρυσαν, ὡς τῆς περὶ τὸν γάμον ἡδονῆς μάλιστα λόγου δεομένης, τήν τε Πειθὼ καὶ τὰς Χάριτας, ἵνα πείθοντες διαπράττωνται παρ᾽ ἀλλήλων ἃ βούλονται, μὴ μαχόμενοι μηδὲ φιλονεικοῦντες.* Cornutus de nat. deor. 24. *Ἀφροδίτη παρέδρους καὶ συμβώμους τὰς Χάριτας ἔχει καὶ τὴν Πειθὼ καὶ τὸν Ἑρμῆν διὰ τὸ πειθοῖ προσάγεσθαι καὶ λόγῳ καὶ χάρισι τοὺς ἐρωμένους*[38]). Appul. Met. VI. p. 394. scis sororem tuam Venerem sine Mercurii praesentia nil usquam fecisse. Quare Ep. I, 6, 38. Suadela Venusque coniunctae et C. I, 10, 3. Mercurius voce formavit feros cultus hominum recentum. Facundiae et blandimentis verborum, sine quibus nihil pollet Venus, accedit aliud, quod indicavit Acron: „per Mercurium vero quaestum vult accipi, tanquam sine venustate nec lucrum sit.“ Quamquam Acronem perperam sic statuisse dicit Schrader. in Musaeum p. 190. Etiam Gesnerus quaerit: an advocatur propter furta et dolos? Tale vero lucri studium maxime cadit in illud libertinarum genus, ex quo Glycera est, quae rapax vocatur Ep. I, 14, 33. Plurima testimonia exstant in Luciani dialogis meretriciis. Hermes et Venus coniuncti apud Megapolitanos et prisca eorum signa in templo Apollinis Lycii Argivo. Pausan. VIII, 31, 3. II, 19, 6.

35) Cfr. Preller. roem. Mythol. p. 233. Liv. XXI, 49, 9. XXXVI, 36, 5. Cicer. Epist. ad Att. I, 18.

36) Cfr. Gronov. in Liv. XXXVI, 36, 5. Interpr. Flor. I, 7, 8. Heins. in Ovid. Metam. IV, 17. Broukhus. in Tibull. p. 85.

37) Lipsii verba ex Epist. ad Belg. III, 40. protulit Dillenburgerus.

38) Cf. d'Arnaud de diis *παρέδροις* (Hagae Comit. 1732) p. 161.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cum Gratiis coniunctus est apud Aristoph. Pac. 458. Thesmoph. 308. In vasis pictis nihil frequentius est Hermis phallo instructis, ad quos accedunt vel puellae sacrificantes et precantes vel iuvenes vel satyri. Nam quaecumque ad iuventutis studia pertinent (gymnasia, amores, alia id genus) recte cum Mercurio copulantur[39]). Quapropter nemo mirabitur Mercurium in Veneris comitatu esse et in libertinae domum vocari, dummodo ne praesidem illum collegii mercatorum apud Romanos intellegat. Quamquam is quoque lucrorum potens est.

Carm. II, 11.

Quid bellicosus Cantaber aut Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
divisus obiecto, remittas
quaerere neu trepides in usum
5 poscentis aevi pauca. fugit retro
levis iuventas et decor, arida
pellente lascivos amores
canitie facilemque somnum.
non semper idem floribus est honor
10 vernis neque uno luna rubens nitet
voltu: quid aeternis minorem
consiliis animum fatigas?
cur non sub alta vel platano vel hac
pinu iacentes sic temere et rosa
15 canos odorati capillos,
dum licet, Assyrioque nardo
potamus uncti? dissipat Euhius
curas edacis. quis puer ocius
restinguet ardentis Falerni
20 pocula praetereunte lympha?
quis devium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra
maturet in comptum Lacaenae
more comas religata nodum.

Scripsit poeta ad Quintium Hirpinum. Eum iubet sine cura esse et totum se hilaritati tradere vitamque iucundissime transigere, quandoquidem in exiguo angustoque vitae spatio assidua futuri temporis sollicitudo ina-

39) Cfr. Gerhard. acad. Abhandl. II. p. 129.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nis sit et id aetatis tempus, quod fruendis vitae voluptatibus unice accommodatum sit, citisisme praetereat. Tum ilico vinum sumendum atque epulandum docet; eis voluptatum illecebris animum deleniri, id esse optimum laborum ac sollicitudinum perfugium. Ad eundem epistulam sextam decimam missam esse probabile est, quamquam ibi cognomen abest. Sed mira inde conficta sunt commenta de Hipini moribus, maxime a Wielando, qui omnia acutissime indagare atque odorari solebat (dixit contra eum Fr. Jacobsius in Script. misc. V. p. 47—57.), et a Mitscherlichio, qui eum natura anxium reique suae futurae metu paulo intentiorem fuisse ex hoc carmine haud temere statui opinatur. Quamquam utrumque carmen ad unum eundemque hominem scriptum esse negat Obbarius[40]), in epistula is intellegit T. Quintium Crispinum a 745 (9) cum Druso consulem; hic veterem poetae sodalem, quem in gentem Quintiam receptum cognomen suum a patria Hirpinorum duxisse putat. Sed praecepta ibi tradita cum huius carminis argumento ita congruunt, ut eundem virum facile agnoscas. Aetatis discrimini, quod alii contra proferunt, non multum tribuerim.

Ob exordium probabile est compositum esse carmen sub finem a. 728 vel initio anni 729, cum Cantabri rebellarent et Scythae instigante Phrahate contra Tiridatem expeditionem pararent. Cave autem cum Fr. Rittero de a. 725 cogites (29.), quo Cantabri, Vaccaei, Astures primum a Statilio Tauro et Scytharum gens a M. Crasso in ditionem redacti sunt Nam v. 5 et 15. canum se prodit poeta. Albescentem capillum habuit a. 730., ut ipse testatur III, 14, 25[41]).

„Carmen, inquit Peerlkampius, Horatio indignum. Voluit aliquis experiri quid in imitando argumento valeret, quod Graeci Romanique poetae, Horatius praecipue, diversis modis tractaverunt. Sed tam ieiunum, tam a suavitate et urbana illa humanitate remotum, nihil apud Horatium legimus. Et universum male cohaeret. Sunt laciniae hinc inde consarcinatae. Si legeretur v. c. in Anthologia Burmanni non addito auctoris nomine, nemo antiquiori alicui poetae tribueret.“ Et amplificavit eam sententiam Hanovius in progr. Zullichaviensi a. 1856, cui praemissa est Scida horatiana, quae est de carmine XI libri II., cuius clausula: Peerlk. carmen, inquit, Horatio indignum. equidem ita subscribo ut dicam in-

40) Cfr. Jahnii nostri Archiv f. Philol. Vol. I. p. 577. Idem multo prius proposuerat Cruquius.

41) Frank. Fasti Horat. p. 181.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dignissimum. Praeterea Gruppeus in Minoe p. 72. 353. et Martinus in progr. Posnan. 1865. p. 3. Horatii id esse negarunt Peerlkampianis argumentis commoti. Patroni exstiterunt Moserus in epist. crit. p. 30: „mihi certe, si non in primis, certe non in extremis ponenda esse videtur haec oda.“ Wissius in Quaest. Horat. libello octavo (1838) p. 14—20., Luebkerus Commentar zu Horaz's Oden p. 253, denique Meinekius praef. p. XIV. „carmen hoc, inquit, non diffiteor me in iis semper habuisse, quae orationis castitate, imaginum venustate sensuumque veritate prae ceteris commendantur, at vide quam diversa hominum palata. Quod enim carmen nos impense laudamus, idem Batavus criticus Horatio prorsus indignum censet et ad vilissimos ingenii fetus abicit.“ Ac tulit Meinekius plausum vel Linkeri et G. Helbigii Dresdensis in Muetzelii diario Vol. XI. p. 809-812., qui singula Peerlkampii argumenta refutare studuit. Ex metricis veteribus novit hoc carmen Diomedes p. 524. Keil. Persequamur singula, ut quam infirma sit adversariorum argumentatio appareat.

1—4. Noli periculorum impendentium metu exanimari. Pro periculis bella ponuntur imminentia, ex quibus Cantabri et Scythae, qui crebris incursionibus fines Romani imperii vexabant, commemorantur. Iubetur igitur Quintius non curare, quid illi populi in ultimo orbe terrarum habitantes moliantur. Et quia istae gentes bella cogitabant Romanis inferre vel fingebantur parare, bellicosus non uni Cantabro, sed etiam Scythae vulgo refertur, praesertim cum singularis cogitet utriusque populi eandem mentem esse indicet. Cantabros, qui Romanis maxime metuebantur, Horatius posuit II, 6, 2. III, 8, 21. IV, 6, 28 (ad eos pertinent bella ferae Hiberiae i. e. bellicosi Hiberi), 14, 41; Scythae II, 19, 23. III. 8, 23. IV, 6, 27. qui sint, exponit Mommsenus in Rebus Divi Augusti p. 90. At epitheton, quod Scythae adpositum est, Hadria divisus obiecto plus offensionis habuit. „Sive referas ad Quinctium, inquit Peerlkampius, sive ad Cantabrum et Scythen, non commode dictum est.“ Quae quis ad Quintium retulerit, plane nescitur. Qui vero participium adiunctum ad utrumque populum refert, perverse statuit Italiam ab Hispania Hadria diiungi, restat igitur, ut animum a coniungendis iis membris quae suapte natura coniunguntur avocet dicatque de uno valere Scytha. Eo aequabilitas membrorum tollitur, cum bellicosus ad utrumque nomen quod subest adplicatur, divisus contra ad alterum solum refertur. Omnis vero ista argumentatio falsa nititur scriptura; nam scribendum est aut Scythes. Particulas inter se a librariis commutatas esse docent viri docti,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quorum testimonia Ungerus meus collegit Sinis p. 111. Ita bellicosus Cantaber per se constat, et Scythae adiectum est Hadria divisus obiecto[42]). Dicit sane Peerlk. Scythas totis regionibus Illyrico et Pannonia a mari Hadriatico separari et Hanovius, habitantem in Italia metuere ne traiecto mari hostis in Italiam descendat. Tenendum est Scytharum nomen latissime patere et de omnibus Danuvii accolis dici. ac praeterea mare firmius praebet praesidium quam regiones interpositae. Locutionem illustrat Verg. Ecl. 1, 67. divisi toto orbe Britanni.

Hirpine Quinti. Quod Hirpini in gente Quintia ignoti sunt nihil adfert dubitationis. Rectius scribitur Quintius, quam quod in lapidibus aliquot esse dicitur Quinctius[43]). Politissimi scriptores talia ad leniorem pronuntiationis legem revocabant, quam analogia nominum Quintus, Quintilius, Quintilianus confirmat. Hirpinus Quintius non habet quod vituperetur. Nam inversus ille nominum ordo inde ab Augusto admodum communis fuit, et iam antea sunt familiaris sermonis apud Ciceronem exempla, ubi nomen familiae praeponitur gentilicio. Horatiana sunt II 2, 3. Sat. I, 4, 94. 5, 32. 7, 1 9, 61. Epist. I, 15, 3.

remittas quaerere. Peerlkamp.: „pro mittas. necessitate metri. Non credo esse Latinum nec vidi exemplum. Alii iam admoniti quaerant[44])." Ea quaestio leviter posita est a critico Batavo. Bonum grammaticum, qui est Hanovius, talia non moverunt et recte is discrimen exposuit, ut laudabiliter id dictum esse demonstraret. „mittere vel omittere quid is iure dicitur, qui illud quidquid est abicit totum forti usus consilio, contra qui remittit rem animum aliquantisper ab ea avocat. Itaque in eum, cuius animus curis angitur et sollicitudinibus, maxime convenit remittendi vis, si quidem evellere et exstirpare illum metum vix queat, sed magnum ecficiat, si minuat et sopiat ad tempus." Quare Horat.

---

42) Perperam Hauthal. in Pseudo-Acrone: mare respiciens figurate Hadria neutro protulit genere. Qui ad III, 3, 6. praecepit masculini generis est Hadria non potuit ita secum pugnare. Figuratam orationem efficit nomen Hadriae pro mari Hadriatico. Masculinum genus de mari praebent Horat. Carm. II, 14, 4. III, 3, 6. 9, 23. Cort. in Lucan. V, 614.; Graeci ὁ Ἀδρίας (Strab. V. p. 238).

43) Drakenborch. in Liv. III, 1, 1, Fea in Horat. carm. I, 18, Niebuhr. in Mus. Rhen. Vol. IV. p. 223 (a. 1827.)

44) In edit. altera non immemor est eorum, quae I. G. Steinerus in progr. Crucenacensi a. 1847. contra dixit, sed tenax inventi nihil mutat et nova conquirit argumenta, quibus id tueatur. Scilicet vituperat remittas pro remitte, quod scribere auctor non potuerit propter sequens trepides.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I, 38, 3 mitte sectari, Epod. 13, 7 cetera mitte loqui i. e. noli sectari, noli loqui; omitte mirari III, 29, 11. — at h. l. est remissius quaeras. Ac Terent. Andr. V, 1, 7 remittas me onerare iniuriis et Sallust. Iug. 52 neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare.

neu trepides in usum p. a. pauca. ne scripsit Hauptius, quod saepissime a librariis commutatum est in nec (cf. Bentl. in Sat. I, 1, 94. A. P. 185. 339). Si poeta antea amicum monuit: noli quaerere, quae pericula reipublicae immineant, non potuit aliud subicere nisi hoc: neve dubites genio indulgere, vel neve sis parcus. Ex consuetudine Horatii aptius est neu particula, quam is subiungit et imperativo praecedenti, ut Sat. II, 5, 88 cautus adito, neu desis operae, Epist. I, 11, 23 grata sume manu neu dulcia differ in annum; et coniunctivo, ut Carm. I, 2, 50 hic ames dici—neu sinas, Sat. II, 5, 24 captes testamenta senum neu—spem deponas, Ep. I, 18, 110 sit bona librorum—copia neu fluitem. Cf. Hand. Tursellin. IV. p. 175. Quae proferuntur exempla particulae nec pro ac ne positae, velut Carm. I, 11, 2. Sat. II, 1, 44., hinc aliena sunt. — De structura sequentium verborum valde ambigitur. Quondam iunctum est trepidare aevi sc. causa, sed talis graecismus insolentior est nec comparandus cum desine querellarum II, 9, 17. Miror Ebelingium de casuum usu Horatiano p. 21. idem amplexum esse. Adiectivum trepidus recte cum genetivo ponitur, ut anxius, timidus, velut apud Livium V, 11, 14 trepidi rerum suarum et XXXVI, 31, 5. Sed ne graeca quidem trepidandi verba ita cum genetivo iunguntur nisi rarissime, nec sententia convenit, nam esset illud angi de aevo, longumne futurum sit an breve, integrumne an male habitum. Praeterea ibi verba in usum misere abundant[45]). Quibus difficultatibus ut occurreret Withofius primum coniecit: in usum poscente vita pauca, deinde audacius (I. p. 40) nec trepides, in usum poscentis aevi pauca fugit retro versi iuventas. Dein Wiss. et Haupt. proposuerunt in usu i. e. ne sollicitus sis in usu vitae i. e. in vita hilariter transigenda.[46]) Peerlkampius trepidare in usum rationem scribendi non esse Augustae aetatis affirmat; Meinek. vero commode explicari posse vidit ex graeca verbi *φοβεῖσθαι* structura, qua usus est Sophocl. O. R. 980 *εἰς τὰ μητρὸς μὴ φοβοῦ νυμφεύματα*, et Trachin. 1211. *εἰ φοβεῖ πρὸς τοῦτο.*

45) Petrenz. observation. p. 15

46) Wakefield. in Lucret. VI, 85 pluralem usus restituit et explicavit: „nec anxius ac festinabundus animum ad *ἀναγκαίας* vitae *χρείας* advertas.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

5. Ne parcas nimium, reputa abire iuventutem. fugit retro[47]) levis iuventas. levis est λεῖος, imberbis, ut levis Agyieu IV, 6, 28, et significatu ad splendorem translato leves galeae I, 2, 38., contrarium hispidus IV, 10, 5. Misere sententiam corrumpunt, qui levem iuventutem oppositam esse opinantur senectuti gravi, severae, morosae, quae a ludo et ioco aliena sit neque amoribus vacet. Multo aptius mollis et tenera aetas dicitur, cuius pulchritudo indicatur addito decor i. e. pulchritudo. — canities de senectute ut I, 9, 17. arida, sicca, macilenta, rugosa, nam exsanguis est et sine suco et recte opponitur virenti iuventuti. Inepte Porphyrion „aridam dicit, quia senes parci ac tenaces sunt;“ idem Acronis quoque larva profert addita altera explicatione: minus in Venerem calens. Senectus pellit et lascivos amores et facilem somnum, cui opponitur somnus arte quaesitus; ergo is est qui facile capitur, ut facilem somnum III, 21, 2; somnus agrestium lenis virorum III, 1, 21. — Haesit in sententia Peerlk.: „Hoc Horatius neque de se neque de amico dicere potuit, qui non imberbes iuvenes, sed iam viri essent. Praeterea medium tempus est inter iuventutem imberbem et canitiem aridam.“ In communi vero sententia quis diversas aetates computaverit? Tacitus duas posuit: tot annis quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Maxime vero mirum est quod facilem somnum ineptam praebere sententiam Peerlk. ait eamque in rem affert illud Catonis apud Ciceronem c. 13 caret senectus epulis exstructisque mensis et frequentibus poculis? caret ergo etiam vinolentia et cruditate et insomniis, quae et alienissima sunt ab h. l. minimeque prohibent, quominus senibus tardum venire somnum et vigiliis saepius interrumpi statuamus.

9. Sententiam in tertia stropha similitudine exornat ex rerum natura petita. Flores non semper florent, lunae non semper est eadem facies. Vicissitudines igitur ac commutationes rerum et temporum profert. „Haec strophe, inquit Peerlk., Horatio digna est. Neque eam reprehendi, neque potuissem. Sed talia vel mediocres poetae interdum faciunt.“ Quod Batavus a se non potuit impetrare, fecit popularis noster ac quondam sodalis suavissimus; nam Hanovius quaerit, cur verni inducantur flores, cum omnium ea sit condicio, ut hodie proveniant, cras marcescant. Sed negle-

47) Scholiastarum explicationem: recedit et remanet a nobis procedente vita in senectutem intactam reliquit Hauthal.; scribendum est remeat vel quod facilius est remanat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

git ille honorem, decus, pulchritudinem, quae verno tempore maxima est, nec recordatur Homeri, apud quem B, 471. ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι legitur. — luna rubens nitet uno voltu. Broukhus. in Propert. p. 43. recte de splendida luna accepit. Male de rubicundo lunae colore alii cogitant. Luna variat voltum vel faciem crescendo ac decrescendo, qua re recte temporum decursio ab omnium populorum poetis indicatur. velut II, 18, 16.

Eadem imagine rerum inconstantiam humanarum illustravit Sophocles in fragm. apud Plut. Demetr. 45.

Proxima verba interrogatione inclusa quid aeternis minorem consiliis animum fatigas cohaerent cum superioribus: quid ergo in illis temporum varietatibus rerumque vicissitudinibus consilia aeterna capis? aeterna sunt, quia humanae vitae terminos egrediuntur et ad longissima tempora pertinent tamquam inmortalis futurus sis; uti I, 11, 6. spes longa opposita spatio brevi. aet. consil. non ἀπὸ κοινοῦ iungendum est cum utroque et fatigas et minorem vocabulo, neque instrumentalis est e verbo suspensus, sed ablativus comparationis, i. e. impar cons. aet. animus, ut Ep. I, 20, 21 maiores pennas nido i. e. quam quas nidus caperet, Ep. I, 17, 40 onus parvis animis et parvo corpore maius; Sat. II, 3, 323 cultus maior censu. Si Hanovius quaerit, quae amico consilia abicienda commendaverit, bellorum enim metum et victus penuriam non posse magnifico nomine comprehendi, oblitus est Horatianum illud I, 4, 15 vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam; ne ad aurem eius christiana quaedam de curis praecepta insusurrem.

13. In amoenum quendam recessum deferimur, ubi compotatio instituenda est ex hominum delicatiorum more, quem poeta II, 3, 6 attigit; non I, 1, 21, ubi frigus amabile ad meridiandum quaeritur. Pro umbra arborum memoratur alta platanus[47]), quae apud Platon. Phaedr. p. 338 ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή, vel patulis diffusa ramis apud Cic. de orat. I, 7 appellatur. Morae vero impatiens poeta vel hac pinu adicit; tamquam in re praesenti loquitur et locum digito ostendit. Ita Philemon p. 23 (Comic. gr. IV. p. 24. Mein.) ἡ λύπη ἔχει ὥσπερ τὸ δένδρον τοῦτο καρπὸν τὸ δάκρυον, ut arbor haec fructum, ita luctus fert lacrimas. Et imitati sunt Horatium Nemesian. eclog. 2 atque sub hac platano mae-

47) Temere Cuningamius suspicatus est platanu, motus ablativo pinu, nam qui unus profertur locus Culic. v. 123 aeriae platanus ex optimis libris emendatus est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sti solatia casus alternant et Calpurnius ecl. 4, 2 quidve sub hac platano — sedes? Sine idonea causa addubitavit haec Hanovius: „cum alta vocetur platanus, contra pinus haec monstretur, cogitabis pinum non altam. meministi autem ingentem pinum simulque cum pinus quae certo loco stat monstretur pronomine, platanus non monstretur, dispar fit ratio harum arborum, quae una eademque esse debet. male igitur facta oratio est.“ Immo duo loci amoeni animo poetae obversantur, unus platani ramis opacatus remotior, propior alter, quo pinus umbrifera allicit. — Dixit Horatius pinu. Inde a Varrone (de ling. lat. IX, 48, 80) certatim tradiderunt grammatici[48]) (Diomed. p. 308. Charis. p. 32. Prisc. VI. p. 267) arborum nomina et secundam et quartam declinationem sequi. Hinc Horatius cupressos II, 14, 23. Ep. 5, 18, ubi in codd. aliquot cupressus, uti in A. P. 332. similiter cupressu pro cupresso. — ficu de fructu Sat. II, 2, 122. et ficis, non ficubus Sat. II, 8, 88, uti perpetuo; — lauro C. III, 4, 19. 30, 16., lauru II, 7, 19, ubi unus cod. Gemblacensis lauro praebet (Vergilius quartam declinationem in accusativo plurali videtur secutus esse, v. Wagner. in Ecl. 6, 83); — myrto I, 4, 9. 25, 18. 38, 5. II, 7, 25. III, 4, 19. 23, 16; myrtus II, 15, 6 nominativum pluralis esse volunt, at singularis est, ut I, 38, 7. — quercus quartam sequitur I, 12, 12. III, 23, 10. IV, 13, 10. Uti Horatius, ita Vergilius, Ovidius (cf. Drakenborch. in Silium XIII, 331), epici posteriores pinu dixerunt et Vergilio pinus reddidit pro pinos Ribbeck. in Aeneid. XI, 136 et Georg II, 443., at idem pinos servavit Eclog. 8, 22. et Georg. IV, 112. — sic temere *οὕτωσὶ καθεζόμενοι*, sine omni provisu, id quod est maxime contrarium aeternis consiliis. Graeci *οὕτως* (v. Pflugk. Eurip. Heracl. 375); pleni exemplorum sunt libri Platonis. Intellege amicos fusos per herbam, membra stratos.

In apparatu convivali non desunt neque corollae neque unguenta. Coronae indicantur verbis rosa canos odorati capillos. Displicent cani capilli Peerlkampio. „explicant albescentes. Mittamus discrimen, quod est inter capillos albescentes et canos. Horatius igitur et Quintius habebant capillos albescentes? Quomodo hoc convenit cum antecedentibus: non semper erimus iuvenes, ut floribus vernis non semper idem est honos?“ Idem contrarium esse contendit superius illud: canities pellit amores, canities igitur nihil istarum rerum pellit.“ De Horatio praecano non

48) Cf. Neue, Formenlehre I. p. 529. nonnulla collegi quondam ad Voss. de arte grammat. p. 660.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dubitandum est propter Ep. I, 20, 24. et albescens capillus in Carm. III, 14, 24. Ac deinde Hanovius vituperat odorati[49]) tamquam ineptum, quasi vero coronae rosaceae nullum spirent odorem neque capilli ita ornati odorati vocentur III, 20, 14; inde homo quoque odoratus capillos recte vocatur. Idem vir doctus canorum capillorum commemoratione opinatur eum, quem poeta consolari velit, tamquam gladio iugulari neque de tristitia ad hilaritatem avocari.

Unguenta indicantur Assyrio nardo[50]). Plerique codd. praebent femininum Assyria et scholiastae testantur: „notandum autem quod nardum genere feminino posuerit.“ Sed iam Ditterichius in Iahnii Annal. vol. XXXI. p. 97. perspexit neutrum genus praeferendum esse, quia poeta II, 7, 8. malobathro Syrio dixit et Tibull. II, 2, 7. illius puro destillent tempora nardo, III, 6, 63. Syrio madefactus tempora nardo. nam quod additum legitur uncti, non fruticem (quae nardus dicitur) aut folium, sed unguentum significari docet. Et neutro genere adhibuit nardum Epod. 5, 59. 13, 9., ubi unus cod. Paris. 10310 achemenia praebet. Femininum tuentur Neue Forml. I. 557 et Schroeter. Quaest. Horat. Saraeponti a. 1847. p. 9, quod poetae rem ipsam describant significaturi id quod inde effectum sit, ut III, 29, 4. pressa tuis balanus capillis. Est sane ibi oleum intellegendum ex balano pressum, at vix credibile est poetam de unguento modo nardus dixisse modo nardum. — Cum Assyrium dixit, Indicum significavit. nam ea pars Indiae, quae ad meridiem versus sita est, herbis odoriferis maxime insignis est. Plin. NH. XII, 26, 42 seqq. Merces vero Indicae per Babyloniam s. Assyriam in Syriam deportabantur. Seneca Hippol. 394. odore crinis sparsus Assyrio. — dum licet quid sit declaratur similibus locis II, 3, 15. III, 17, 13.

Dissipat Euhius curas edaces. Hanovio displicet, quod poeta ineptissimo loco renovarit curarum cogitationem in eaque re dissipandi verbum collocarit alibi similiter non dictum. Dixit vero I, 7,

---

49) Wakefieldus nescio quo loco coni. coronati; in nitidissima editione, quae Londini 1794. prodiit, odorati servavit.

50) Nolite huc trahere quae Plin. NH. XXI, 8, 11 de coronis ab India aut ultra Indos petitis narrat: lautissimum quippe habetur e nardi folio eas dari — hunc habet novissime exitum luxuria feminarum. Haec aetas superavit in eis deliciis Romanos a Plinio notatos.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

31. nunc vino pellite curas. — edaces ut I, 18, 4 mordaces. sic aegritudo lacerat, exest animum planeque conficit apud Cic. Tusc. III, 27. *θυμοδακεῖς* et *θυμοβόροι* sunt Graecis animum vorantes, mordentes, *γυιοκόρους μελεδῶνας* Hesiodus dixit in Op. 66. —Euhius. Graecis *Εὔιος*, ab acclamatione *εὐοῖ* ductum, est Bacchi cognomen. Latini aspirationis litteram in euhan, euhoe, Euhius, Polyhymnia I, 1, 31, aliis non neglegunt, ut docuit Lachmann. in Lucret. p. 309. Lobeck. Aglaoph. p. 1044. Perperam alii Evios, Evius (I, 18, 9) et Evias pro Euhias III, 25, 9. — Pro indicativo N. Heinsius coniecit dissipet. „non multum interest, inquit Bentleius, tamen, si vetus codex accederet, coniecturam Heinsii libenter receperim.“ At nullus liber coniunctivum praebet alienum ab eo loco, quo post exhortationem ad bibendum cur non potamus non poterat altera subiungi, recte vero pronuntiatur emolumentum, quod vinum adfert.

13. Redit poeta ad proponendas delicias et fingit se in ipso convivio adesse. Peerlkp. „Horatius potius scripsisset quis, pueri, ocius, ut Claudian. nupt. Honor. 128. ecquis erit, pueri — qui vocet.“ Et eam subtilitatem admiratus est Hanov. „nam, inquit, adparatus qui describitur qui sane non exiguus est plenissime perficitur, cum statim puerorum inducitur multitudo.“ At idem est singularis I, 29, 7. de pincerna et I, 38, 1. in simili apparatu puerum adloquitur, item III, 14, 17. 19, 10. Epod. 9, 33. Quia in eis exemplis vocativus legitur, Withofius distinxit quis, puer, ocius. — Praetereunte lympha. „Horatius, puto, inquit P., aliud elegantius posuisset epitheton.“ Acerbius notavit Hanov. „quis est locus, quem praeterit? villa est in quam vocat amicum. at villae nulla facta erat mentio. o te tardum? platanum videras vel hanc pinum. Iam omittimus hoc quod caret arte et ad aliud properamus. ver est vel aetas cum amicum vocat ut se abiciat in herba sub platanone illae quae tunc e rivo praetereunte hauriuntur aquulae non multum valebunt ad Falerni ardorem restinguendum.“ Iam Acron interpretatus est: de currente fonte aqua petita tamquam potui lenior. Locutio est Horatiana IV, 7, 3. et decrescentia ripas flumina praetereunt. Tibull. I, 1, 27. sed canis aestivos ortus vitare sub umbra Arboris ad rivos praetereuntis aquae. Locus quem praetereat rivus non additur.

quis devium scortum eliciet domo. Adsit psaltria; eae enim in comissationibus adhiberi solitae. I, 36, 13. Haec stropha plurimum difficultatis videtur habere. Primum haerent critici in scorti vocabulo. „Horatius, inquit Peerlk., nusquam nisi in contumeliam posuit, neque hac aetate aliter ponebatur: Romani iam a Graecis didicerant mulieres non omnibus vacantes ho-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nestis nominibus appellare. Erat haec consuetudo interpretum christianorum, ut amicas, libertinas, servas formosas et omnino omnes feminas liberius viventes appellarent scorta et meretrices.“ Horatius praeter h. l. semel posuit Ep. I, 18, 34. et scortatorem Sat. II, 5, 75. Quaeramus accuratius de origine. Varro de ling. lat. VII, 84. „scortari est saepius meretriculam ducere, quae dicta a pelle; id enim non solum antiqui dicebant scortum[51]), sed etiam nunc dicimus scortea ea quae ex corio et pellibus sunt facta. — In Atellanis licet animadvertere rusticos dicere se adduxisse pro scorto pelliculam.“ Festus p. 330 O. Muell.: „scorta appellantur meretrices ex consuetudine rusticorum, qui, ut est in Atellanis apud antiquos, solebant dicere se attulisse pro scorto pelliculam. omnia namque ex pellibus facta scortea appellantur.“ Idem confirmant scholiastae, qui a solo etiam vulgaribus calciamentis subiecto scortum dictum esse tradunt, et glossaria[52]). Hinc frequens usus de impudicis et viris et mulieribus apud comicos poetas, velut apud Plaut. Capt. 67. Ergasilus parasitus: iuventus nomen indidit scorto mihi, eo quia invocatus soleo esse in convivio[53]). Ex vulgari sermone Apul. Met. I. p. 37. meretricem annosam, vietam, deformem scortum scorteum appellare ausus est, quia instar corii et pelliculae rugosa et flaccida est sucoque caret. Ac ne Cicero quidem abstinuit Cat. II, 5, 10. quod si in vino et alea comissationes solum et scorta quaererent, essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi; Milon. 21, 55 qui semper secum scorta duceret, add. Sest. 17, 39. Philipp. II, 18, 44. Quod oratori apud iudices licuit vel in senatu, licebit poetae in sermonis cum sodali habiti hilaritate.

devium. „De eo, inquit Peerlk., interpretes plane contraria sentiunt, alii accipientes omnibus venale, alii non omnibus venale. Sed devius est a via remotus, devius in urbe, habitans in angiportu aliquo. Ibi scilicet habitabant mulieres vilissimae et abiecti omnis plane pudoris.“

---

51) Exemplum est apud Tertullian. de pall. c. 4., ubi Hercules Omphales vestem sericam dicitur induisse, Omphale Herculis scortum i. e. pellem leoninam. v. Voss. de analog. I, 11. Etymolog. v. scorteum p. 456. Salmas. in H. A. Script. T. I. p. 433.

52) Nostrates similiter lüderliches Fell de impudica, altes Fell de anu dicunt; ex eadem pellis metaphora petitum nomen, quo Goethius prava opinione ductus Aemiliam Galotti, virginem ingenuam, notare ausus est „ein kleines Luderchen“.

53) Multa contulit Pareus Lex. crit. p. 1128; de aliis cf. Oudendorp. in Sueton. p. 993. Schott. in Aurel. Victor. p. 502 ed. Arntz.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Spectandum est primum, quomodo Horatius eo vocabulo usus sit; dixit I, 17, 6. deviae olentis uxores mariti quae sunt huc illuc per nemus errantes; III, 25, 12. mihi devio longius a consueto itinere evaganti[54]). Hinc fidicinam domos oberrantem (Epist. I, 14, 15 nec meretrix tibicina, cuius ad strepitum salias) videtur petiisse Cruquius; hinc Fr. Ritterus contortam explicationem: domo dum elicitur scortum ad amicos procul a via in nemore iacentes, ipsum devium fit i. e. a via deversurum. Verum vidit Salmas. in Tertull. de pallio p. 177 „*κατάκλειστον* Graeci vocarunt, quicquid ita pretiosum est, ut servari diligenter et clausum teneri mereatur. Hinc et *κατάκλ.* meretrices quaedam dictae, quae carius se venditarent nec omnibus paterent. devium quod scilicet non omnibus obvium.“ Qui omnino a scorti nomine abhorruerunt vel id a Lydes moribus alienum esse putarunt, coniectando aliquid efficere studuerunt; quo in numero est Withofius (krit. Anmerk. I. p. 42). Is proposuit quis dulce tormentum eliciet domo Lyden, perperam usus III, 21, 13. ut quod ibi de vini deliciis dictum esset, hic ad delicias referretur, quas puella praebet. Alii alia tentaverunt, quae Hauthalius memorat: devium fundum s. hortum, vel quis deviam nostrum vel quis deviam, Hirpine, quae inventa ignotis auctoribus non invideo.

eliciet. „Hoc et mox dic maturet non conveniunt.“ Hanc Peerlkampii sententiam Hanov. firmavit: „certum est non convenire eliciendi rationem; nam elicere est dedita opera urguendo et stimulando quem excitare, illud autem mulierum genus tale est ut accurrat ad nutum.“ At si Lyde non vulgaris erat, non sine labore, muneribus et blanditiis elici poterat. Ad rem comparetur Claudian. Eutrop. I, 81, ubi Eutropius in eliciendis mulieribus magnus artifex sic describitur: nulli poterant excludere vectes. Ille vel aerata Danaen in turre latentem eliceret, quae verba referunt Horat. Carm. III, 15.

Lyden. Vix poterit demonstrari hoc devium scortum eandem esse cum Lyde carm. III, 11 et 28; longius vero procedit Fuerstenau de carm. aliquot Horat. chronologia p. 63., qui eandem putat esse cum Lydia, ad quam pertinet I, 8, quo Sybarin ab eius amore poeta revocare studet; I, 13. ubi mutuis suspitionibus irisque inde ortis distracti videntur esse; I, 23. quo eam

54) Devius proprie est a via remotus; vocabulum Livio in deliciis fuisse demonstravit Drakenb. in Liv. III, 13, 10. Apud Ovid. Trist. III, 8, 30 femina devia, Heroid. II, 118 devia avis, quae deserta incolit. deviare i. e. a via deflectere dixerunt posteriores, v. interpretes Apul. Florid. p. 99.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in amorem sui pellicere studet; III, 26. quo Venerem precatur ut arrogantem semel tangat; III, 9. quo ad amorem redintegrandum excitat; denique I, 25, quo obrepentem senectutem formaeque iacturam Lydiae obiecit. At vix probabilis videtur ea suspitio, qua duo diversa nomina eidem libertinae tribuuntur. Neque iuvat aliorum commenta proferre, velut Grotefendi, qui Lyden eandem cum Pyrrha esse dicit, sed diversam a citharistria III, 28. In amoribus Horatianis qui feruntur nos omnes caecutimus.

22. Veram verborum interpretationem protulit iam Acron: „age dic, Lyde[55]) cum eburna lyra ut religata comas in nodum comptum more Lacaenae maturet i. e. festinet. Festinantes enim mulieres pexum tantum capillum in nodum colligere consueverant.“ Mirabilia de hoc loco excogitaverunt critici, nam ne quid dicam de inepta suspitione nescio cuius: Lyden, en eburna duc age cum lyra: maturet cet. Bentleius dubitavit et de latinitate vulgatae scripturae: religata comam (optimi libri comas praebent[56]) in nodum comptum, et totam illam sententiam poetae menti repugnare contendit. „Iubet enim Lyden maturare neque moram facere in comendis capillis; id enim tarda arte fieri solebat. et praeterea neglecti, simplices, incompti potius capilli erant, cum nodo coercebantur.“ Quare is proposuit: incomtam Lacaenae more comam religata nodo. Bentleio assensi sunt Cuningam. Animadv. p. 343. Withof l. c. p. 41. Meinek. et Haupt. in edit. sec. Et dixit sane Horat. II, 19, 19. nodo coerces viperino crinis, III, 14, 21. murreum nodo cohibere crinem, Seneca Hippol. 400 et nodo comas coegit. At si cum maturandi praecepto parum convenire videtur comendi necessitas, celeritas in eo posita est, quod citharoeda comas in nodum colligere vel religare iubetur, ut III, 14, 21. Hic spectatur maxime simplex elegantia nodi, qui opponitur artificiosis comarum nectendarum modis. Capillamentum simpliciter pexum vel comptum eburnae illi lyrae melius congruit quam inordinatum. Denique in praepositio abesse poterat neque nodum in fine positum carere epitheto. Quare iungendum: religata

---

55) Sic corrigendus est error, quem etiam novissimi editores propagarunt, Lyden. Postea verba transponenda: pexum capillum tantum in nodum colligere.

56) Similiter IV, 9, 13 comptos crines, 11, 5. crines religata, Epod. 5, 15. brevibus implicata viperis crines.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

comas in nodum comptum[57]). Nimio ornatu spreto simplicem neque invenustum corporis cultum desiderat, ut I, 5, 4. cui flavam religas comam simplex munditiis. Accedunt testimonia codd. A B λ aliorum. — Sed quia in multis codd. est incomptum vel inconptum, maluerunt incomt. nod. suspensum facere ex maturet i. e. dic mature nodum incomptum faciat, coma religata more puellarum Lacedaemoniarum. Et maturare cum accusat. dixit III, 7, 15; ut propero II, 7, 24. et festino Ep. I, 1, 61. Sed tum absonum est cum lyra nec habet quo apte referatur.

more Lacaenae. Virginibus totius Graeciae fuit proprius hic mos comas in nodum colligendi versus occiput. Qui eum a Lacedaemoniis alienum esse putant, afferunt Verg. Aen. I, 315

virginis os habitumque gerens et virginis arma
Spartanae vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce volucremque fuga praevertitur Eurum,
namque umeris de more habilem suspenderat arcum
venatrix, dederatque comam diffundere ventis.

Ista vero comparatio cum puella Lacaena instituta ad arma tantum pertinet, reliquus habitus omnibus venatricibus cum Diana communis est. Quare Acron de Helenae similitudine (poterat uti III, 3, 25.) accepit idque probavit Withofio, qui abutitur verbis de Paride IV, 9, 13. prolatis. Bentleius: „Utinam prodiret cod. aliquis, qui pro Lacaenae exhiberet Dianae, nam dea illa venatrix et pingitur ubique et describitur coma in nodum collecta", cui adversantur iam illa Vergiliana et mos Dianae in summo vertice nodo crinem cohibentis. „Unde imaginem Lacaenae sumpserit, inquit Peerlk., ignoro; finxit, fortasse propter metrum." Helbigius suspicatur certam aliquam puellam tunc Romae degentem significari, exempla vero, quibus utitur, Thressa Chloe, Opuntia Megilla nomen propriun habent adiunctum. Laconicas virgines cogitavit poeta, quibus optime convenit „non odoratae cura molesta comae", ut Propertii verbis IV, 14, 28. utar, quae Meinekius bene adhibuit.

Denique durissimam horum verborum constructionem, quam Peerlkampius notavit, Hanovius intactam reliquit; sperat accuratiore disquisitione

57) comere proprium est verbum de cura capillorum, v. Drakenb. in Sil. VII, 460. intellege nodum bene concinnatum et compositum, non operosum crinium ornatum. Pulchras puellas reiecta decoris cura plurimum placere non solum divus Ambrosius testatur sed etiam Francisca Lessingiana in fabula Minna de Barnhelm act. II. sc. 7.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam hic pollicetur Batavi hominis dubitationes sublatum iri. In toto denique carmine nihil est obscurum vel ambiguum, nihil contrarium vel inter se pugnans.

Carm. IV, 3.

Quem tu, Melpomene, semel
nascentem placido lumine videris,
illum non labor Isthmius
clarabit pugilem, non equus impiger
5 curru ducet Achaico
victorem neque res bellica Deliis
ornatum foliis ducem,
quod regum tumidas contuderit minas,
ostendet Capitolio:
10 sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
et spissae nemorum comae
fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae principis urbium
dignatur suboles inter amabilis
15 vatum ponere me choros,
et iam dente minus mordeor invido.
o testudinis aureae
dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
o mutis quoque piscibus
20 donatura cycni, si libeat, sonum,
totum muneris hoc tuist,
quod monstror digito praetereuntium:
Romanae fidicen lyrae
quod spiro et placeo, si placeo, tuumst.

Iulius Scaliger (Poet. VI, 7. p. 812) hoc carmen et libri tertii nonum ambrosia et nectare dulciora esse dixit, quorum similia mavult se composuisse quam Pythia et Nemea multa Pindari, quam esse totius Tarraconensis regem. Et Sanadonus perfecte pulchrum esse ait (quelle est parfaitement belle) et Dacerius nihil eo absolutius elaboratiusque reperiri (rien de plus achevé). Ac dici sane potest carmen in nobilissimorum numero esse habendum; quare certatim imitando id expresserunt recentiores poetae inde a Klopstockio usque ad Schillerum. Argumentum est simplicissimum. Quem Musae nascentem suo favore dignatae sunt, ei versus nomen ac famam parant. Hoc mihi contigit, quem iuventus Ro-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mana in vatibus celebrat: debeo vero tantum munus Musae. Dum ad Musam omnia refert accepta, in summa superbia arrogantiae plane expers videtur et amore nos complet, quia gratum suum animum erga Musam testatur. Universe poeta loquitur a principio, inflectit ad se ipsum sensim orationem, v. 13. aperte convertit.

Temporis nullum adest vestigium, quare suspitione nituntur, qui annis vel 741 (13) (Kirchner), 742 (12) (Grotefend), 740 (14) vel 737 (17) adsignant. Atque ultimum hoc amplexus est Fr. Ritterus. „Nam quemadmodum, inquit ille, sextum huius libri carmen scripsit Saeculari praeludens, sic hoc non diu post ludos saeculares a. 737 editos fecit, laetus videlicet quod invidiam superaverit quodque carminum suorum virtus magis in dies probetur.“ In re incerta nil iuvat hariolari. Hariolatio vero est Franckii p. 32, qui quarti libri fuisse prooemium suspicatur, dein transpositum et conexum cum carmine secundo, antequam id accessionibus alienis contaminatum esset. Similiter Obbarius omnium carminum hoc ultimum esse et epilogum quarti libri suspicatus est.

Celebratissimum carmen interpolationibus corruptum esse statuerunt Peerlkampius, Gruppeus, Franckius, Axtius; quorum illi v. 13—16, Axtius v. 17—24[59]), Franckius praetera v. 19—22 abiecerunt.

1. Primis novem versibus indicatur eum, quem Musae propitiae poetica facultate instruxerint, neque clarum pugilatu neque in ludis Olympicis equestri certamine victorem neque insignem imperatorem umquam futurum esse, sed nobilem et immortalem poetam. E Musis appellat Melpomenen, quam lyricae poesis antistitem III, 30, 16 allocutus est et I, 24, 3. Contra Thalia est IV, 6, 25, Clio I, 12, 2, Polymnia I, 1, 33, Euterpe I, 1, 32, quae est in Musis apud Hesiod. Theog. 77. Non enim tenet Horatius certa Musarum munera, quae vulgo iis attribuuntur.

semel facit ad numen deae augendum, nam sufficit ut semel tantum adspexerit. Improbavit Peerlk. tamquam molestum et otiosum. „semel vid., inquit, indicat tempus incertum et nascentem certum.“ quare coniecit simul nasc. εὐθὺς vel ἅμα γιγνόμενον, statim cum quis natus est, et exempla congessit, ubi sortem eodem momento destinatam esse dicant poetae. Contra non desunt exempla, ubi nascendi vocabulo nihil additur. Praeterea particula non ad participium, sed ad universam sententiam

59) In Coniectaneis Homeric. (progr. Crucen. 1860) p. 21 haec sunt: „Carm. 4, 3, 17—24 ἀθετητέον!“ A Martino meo carmen non vexatum esse leator.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pertinet, h. s. qui semel Musarum sacris initiatus erit, is numquam inde devocabitur. In contraria re semel I, 24, 16, ubi mortis descriptio ornatur.

Musae placidis oculis, placido voltu adspiciunt eaque re benevolentiam declarant. Praeiverunt Graeci scriptores[60]), ut Hesiod. Theog. 81.

ὅντινα τιμήσωσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο
γεινόμενόν τε ἐσίδωσι διοτρεφέων βασιλήων,
τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἐέρσην,
τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα.

Callimach. epigr. 22, 4. *ὁ δ' ἤεισεν κρείσσονα βασκανίης* (invidia maiorem se fore Horatius quoque vaticinatur II, 20, 4). *Οὐ νέμεσις. Μοῦσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας μὴ λοξῷ, πολίους οὐκ ἀπέθεντο φίλους.* et Theocr. IX, 35. *ἡμὶν Μῶσαι φίλαι. οὓς γὰρ ὀρεῦντι γαθεῦσαι, τοὺς δ' οὔ τι ποτῷ δαλήσατο Κίρκη* i. e. ii nullis aliis illecebris capiuntur. Aristaenet. I, 11 *εὐμενεστέροις ὀφθαλμοῖς εἶδον αὐτὴν αἱ Χάριτες.* Stat. Silv. V, 3, 121. Protenus exorto dextrum risere sorores
Aonides pueroque chelyn summisit et ora
imbuit amne sacro, iam tum tibi blandus, Apollo.

Ex alia vero imagine, sed eadem locutione Mamertinus genethliaco Maximiano 19. nascentes vos ad opes generis humani bona sidera et amica viderunt, quia mathematici ex constellatione siderum natali de fatis hominum augurabantur. In ea re aspicere dixit Horat. II, 17, 17.

v. 3. et seqq. memorat summos honores, qui vel Graecis vel Romanis maxime expetebantur, victoriam in ludis publicis deportatam et triumphum. Primum ponit: non id aget, ut in ludis Isthmiis victor evadat. laborem dixit, ut Pindar. Pyth. V, 62. *κάματον* et Isthm. III, 28. *τετραορίᾶν πόνους* et Stat. IV, 4, 31. Eleos labores. Ex certaminibus elegit pugilatum (*πυγμὴν*), in quo labor maximus requiritur, et quadrigarum cursum (*τετραορίαν*). — clarabit: clarum reddet. Uti intransitivum clarere veteres poetae dixerunt Ennius, Lucretius, Cicero in Arateis, ita transitivum clarare idem Cicero in poemate de suo consulatu de divin. I, 12, 21 et in Arateis 39 aestatis primordia clarat et 166. non potuit nobis nota clarare figura; et declarandi significatu Lucret. III, 36. animi natura videtur claranda meis iam versibus esse, IV, 777. multaque nobis clarandum est. Ex posterioribus accedunt Statius Theb. V, 284 et Auson. Mos. 388.

60) Muret. Var. Lect. IV, 20. Valckenar. in Eurip. Hippol. 1339.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Uti pugil suis viribus victoriam reportat, ita in curruum certamine velocitas equorum et vivacissima pedum pernicitas victorem praestat. Duplex certaminum genus iam IV, 2, 18 pugilemve equumve significatum erat. Unde perspicitur perperam haec ad triumphantem victorem relata esse, nam de eo postea loquitur poeta. Neque recte interpretati sunt de victoris in patriam reditu, uti postea in triumphante imperatore; ei enim opinioni obstat pugilis mentio. Est nihil aliud nisi: in ipso curriculo victorem reddet, uti antea clarabit pugilem. — Achaico non ad Olympicum solum certamen pertinet (uti I, 1, 3. pulverem Olympicum collegisse) neque ad Isthmium, quia Corinthus Achaiae est, sed universe accipiendum est de Graecorum ludis publicis. Achaiam enim appellabant Romani Graeciam imperio adiectam, quamvis libertate non privatam. Praebent codd. nonnulli Achaio, quod Cuning. Sanad. Fea aliique asciverunt. At ei formae firmandae nequit adhiberi Aeolium v. 13. Achaicus est I, 15, 35. Similiter probavit Drakenb. in Silio XV, 806. Achaia moenia contra Heinsium, talium formarum sectatorem strenuissimum, et Heynius in Verg. Aen. II, 462 Achaia castra contra testimonium optimorum librorum Achaica praebentium. Ex eodem genere errores multos commisit Cuningamius; velut Troius pro Troicus III, 3, 32. I, 6, 14. (Bach. in Ovid. Met. II. p. 291), Ionios III, 6, 21, Epod. 2, 54., Olympius I, 1, 3., Laconias II, 18, 7., Delphia III, 30, 15. V. Weichert. Poetar. reliqu. p. 322. Wagner. in Verg. Aen. II, 37. Cuningam. Animadvers. p. 259.

6. Accedunt res bello fortiter gestae, quae triumphali lauro ornant. Id declarant folia Delia, quae Apollini Delio sacra sunt; id Capitolium, quo triumphus ascendit. Bellicam laudem illustrant verba: quod regum tumidas minas contuderit. tumere quia de omni vehementiore adfectu dicitur, et iactantiae et irae proprium est[61]), uti inflari; ergo insolentia, superbia regum fracta et perdomita est. In eadem re II, 12, 12. ductaque per vias regum colla minacium. Contundendi vocabulo ita usus est III, 6,10. Ep. II, 1, 10., in alia re Epod. 5, 98. Ep. I, 8, 5.

10—12. Contrarium sequitur, nam ille poeticis studiis vacabit et inde nomen ac famam sibi quaeret. Id studium declaratur secessu

61) Bentl. in A. P. 196. Gronov. in Liv. XXXIII, 11, 4. Drakenb. in Sil. II, 626. Ruhnken. in Ovid. Heroid. p. 56. Oudendorp in Appul. Met. p. 378. Obbar. in Hor. Epist. I, 1, 36. Quare recte sibi opponuntur tumidus et timidus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poetarum et otio, nam Ep. II, 2, 77. scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes (Carm. I, 1, 30). Tacit. dial. 9. poetae si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt, in nemora ac lucos, id est in solitudinem recedendum est. Et quia amoenissimas illi quaerunt regiones, Tiburtinam elegit et suavissimis coloribus depinxit. Ea vero commemoratione paulatim ad semet ipsum convertit animos legentium. Prope enim situm erat praedium Sabinum. Non probabile est Tiburtinum quoque Horatii praedium fuisse, id quod multi opinati sunt, et multo improbabilius, uti nuper suspicatus est Ritter., Flacco pro carmine saeculari praedium Tiburtinum ab Augusto donatum esse.

quae Tibur aquae fertile praefluunt. Codd. Paris. 7900 et 7972 aliique nonnulli exhibent qua, quae loci notatio aliena est a sequenti nemorum comae, nam et fontes et rivi et nemora ad secessum invitant. Plane idem supra 2, 30. — praefluunt optimi praebent libri et explicant scholia praeterfluunt. Recte tuentur critici h. l. et infra 14, 26. Liv. I, 45, 6. infima valle praefluit Tiberis. Vell. Pat. II, 106. ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines praefluit. Similitur dicuntur praelabi, praevehi, praenavigare, praegredi, alia[62]). Quem usum dicendi cum ignorarent, alii maluerunt scribi perfluunt, cuius scripturae patrocinium Fea suscepit et Monich. p. 213; id enim significare fluere per aliquem locum, eum irrigare ideoque fieri Tibur fertile. Etsi probare id videtur Ovid. Amor. III, 6, 45. nec te praetereo, qui per cava saxa volutans Tiburis Argei pomifer arva rigas, irrigatio tamen praeterfluentibus quoque aquis efficitur. Nec minus aliorum librorum errores profluunt vel proluunt improbandi sunt.

Nemora spissa indicavit spissis nemorum frondibus, pro quibus comas posuit ut I, 21, 5. IV, 7, 2[63]). — Aeolio carmine, Alcaei et Sapphonis, omnino lyrico genere, ut III, 30, 13. II, 13, 24.

12—16. Iuventus Romana me poetam veneratur et minus iam invidis

62) Cfr. Gronov. et Drakenb. in Liv. XXIX, 32, 8. Cort. in Lucan. VI, 76.

63) De foliis arborum dici comas et crines nemo nescit. theotiscorum poetarum exempla collegit H. Koch. in Homer. Il. XVII, 677. At idem de quibusvis florentibus herbis plantisque dici demonstravit Oudendorp. in Appul. Metam. p. 744., qui spissam comam in puellae ornatu explicavit ibid. p. 111.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ac malevolis hominum obtrectationibus mea carmina lacerantur. Romae suboles[64]) vulgo accipitur de universo populo Romano. Ita sane proles dicta est aliquoties a Vergilio, ut Aen. IV, 236. X, 429., sed hoc ad iuventutem Romanam pertinet, quae novo poesis generi favet. Qnis enim omnes Romanos cogitaverit, ubi poeta invidiam nondum plane oppressam esse aperte profitetur. Aliquid sensisse videtur Acron „Augustum vel privignos eius significat sive posteritatem Romanam, a qua se inter poetas numeratum iri promittit;“ certius Porphyrion: „Nerones vult intelligi, quos Augustus privignos alioqui ut suos loco filiorum diligebat.“ Rem expedivit Doederlinus in progr. gymn. Erlang. 1853 p. 16, unde repetita sunt in Miscell. script. vol. III. p. 422. — princeps urbium vocatur Roma, quod imperium per totum terrarum orbem propagatum est. Similiter IV 14, 44 domina, Ep. I, 7, 44. regia.

inter amabilis vatum ponere me choros: numerat me inter poetas lyricos. nam eis tribuit priscum et honorificentius vatum nomen. Tacit. dial. 9. egregium poetam vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem. Hinc lucem accipiunt quae in Carm. I, 1, 35 sunt quodsi me lyricis vatibus inseres (lyricus quoque Horatius primus ascivit), II, 20, 3; et ipse Maecenas amicum sic appellabat. Ep. I, 7, 11. Argutius quam verius interpretatus est Lachmann. in Lucret. p. 358. Anchersenus Danus praeiudicata de saeculari carmine opinione adductus voluit vatem reponere et intellexit pueros puellasque, qui Horatium vatem saecularem inter choros suos posuerint. Haesit praeterea Withof II, p. 10. in chororum mentione, qui plurali numero tantum de saltantibus dicerentur (I, 1, 31. IV, 5), singulari numero de magna copia (Ep. II, 2, 77), quare is coniecit dignatur soboles semper amabili vatum ponere me choro, vel, si dis placet, in ter amabili vel intemerabili: qui meri lusus sunt ingenii.

Horatius iam vivus magis extra invidiam obtrectatorum esse coepit. Ita post transfigurationem II, 20, 4. invidiaque maior. — mordere, ut morsus Ep. I, 14, 26. Ovid. Trist. IV, 10, 123. livor iniquo ullum de nostris dente momordit opus. Tales sui obtrectatores nominavit poeta in Sat. I, 10, 86. Ep. I, 19, 35 et singulari libello illustravit

---

64) Ita, non soboles scribendum esse et origo vocis et inscriptiones demonstrant. Fea ad III, 13, 8. Cort. in Lucan. II, 651. Corsseni Nachtraege zur Formenl. p. 279.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aug. Weichertus in progr. Grimensi a. 1821. — torqueor Cuningamii et Sanadoni coniectura minus adposita est, quia similiter vocabula rodendi et edendi ponuntur et dentibus accommodata sunt.

Quattuor versus 13—16. Horatii esse negavit Peerlkampius. Primum quod posuit argumentum „non vidit scholiasta" falsum est, nam et Acron et Porphyrion eos explicaverunt, Cruq. vero commentatoris argumentum carminis, quo nititur, nullam habet auctoritatem. Pergit deinde „Roma appellata princeps urbium tenuis laus est, cum Roma esset caput orbis domiti. Tum suboles Romae obscurum. Alii genus Augusti, Neronum, alii universos Romanos interpretantur. Neutrum Latine satis dictum est. Minus mordeor invido dente non convenit cum sequentibus: me digito monstrant et spiro et placeo." Aliquanto gravius videri potest, quod Gruppeus in Minoe p. 84. invenisse se gloriatur, tantam laudem non posse proferri ab ipso poeta, prolatam esse a criticis posterioribus. Quasi vero Horatius non similia de se praedicasset II, 20. III, 30. similisque fiducia in aliis quoque poetis reperiatur [65]).

Laudes, quas sibi magnas tribuit poeta, temperat modeste, dum nullum suum meritum esse ait, sed Musae donum et beneficium. Sed octo versus censoria quasi nota abiecit Axtius. Sane idem iam a. 1840 in Vestritio Spurinna p. 63. dixerat de versibus 19. 20. „qui consequuntur duo versus illius Horatiani carminis sunt verbis speciosi, sententiis inanes, logi! nugae canorae, blandi et fallaces tinnitus!", unde apparet eum a duobus versibus suspectis postea ad octo progressum esse. Modestior fuit Franckius, qui quattuor tantummodo (18—21) delendos esse censuit maxime, ut videtur, piscium cantu commotus.

Alloquitur Musam Pieri. A Musarum monte Piero vocantur Pierides IV, 8, 20., Pierium antrum est III, 4, 40. Rarior ille singularis est apud Ovid. Fast. IV, 222. Pieris orsa loqui. Musa vero temperat, regit, moderatur (I, 24, 14) strepitum testudinis; ergo modulatur, pulsat citharam. Multi id acceperunt de arte fidium lyrae ita intendendarum, uti ad concentum opus est (nostrum stimmen), rectius de ipsa cithara tractata. Testudinis cantum dixit strepitum, ut Ep. I, 2, 31. 14, 26.; recte enim id vocabulum cadit in concentum nervorum. Singularem vim tribuit poeta vocabulo dulcem collocatione.

---

65) Franckius Scid. Horat. p. 2 illud assensus est eique argumento tantam tribuit auctoritatem, ut „immoderatissimum laudatorem" carm. III, 30 Horatium esse negaret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

21. Musa piscibus quoque dulcissimum cantum dare posset, si vellet. muti enim pisces in proverbio fuerunt graecis *ἀφωνότερον τῶν ἰχθύων* et nostratibus, stumm wie ein Fisch[66]). In proverbio fuit *κύκνου ἀοιδότερον*. Inepte Acron: „Aut: o Musa, quae potentia tui et muta animalia oblectari facis aut propter Arionem, quem cithara in mari canentem secuti delphines dicuntur.“

muneris tuist. Ita ex praecepto Lachmanni pro vulg. tui est. Nam in Lucret. p. 66. et 219. „Horatius in carmine saeculari et in quarto carminum libro longas syllabas non elisit, ergo scripsit tuist.“ Idem fecit I, 3, 37. Omnino tenendum est es et est encliticas esse syllabas, in quibus *e* omittitur, ubi s praecedit vel vocalis, uti nactust, itast. Cf. Corssen. de pronuntiat. II. p. 98. Quod cum neglexisset Peerlkamp., leniorem sonum efficere voluit transponendo: totum hoc muneris est tui, vel Duentzer.: totum est muneris hoc tui.

22. quod monstror digito praetereuntium. Acron: „Hoc est qui (scrib. quod) cunctis innotui.“ Nam quod nostra consuetudine usurpatur in malam partem, cuius usus nonnulla exempla veteres quoque suppeditant (Ovid. Amor. III, 1, 19. 6, 77), id in laude est apud veteres. Maxime vulgi proprium id erat, ita ut Horatius se non doctis solum hominibus notum esse dicat, verum etiam a vulgo celebrari. Cic. Tusc. V, 36, 103. leviculus sane noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae, ut mos in Graecia est, insusurrantisque alteri: Hic est ille Demosthenes[67]). Persius I, 28. at pulcrum est digito monstrari et dicier hic est. Iuvenal. I, 161. qui verbum dixerit hic est. Tacit. dial. 7. quos (de oratorum fama loquitur) saepius vulgus imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat. Martial. V, 13, 3. VI, 82, 3. Similia de se narrat Plinius Ep. IX, 23., de Herodoto Lucian. in Herod. 2. idem in Somn. 11. Anachars. 36. Erat in ore vulgi *οὗτος ἐκεῖνος*, vel hic est[68]). Hinc proverbialis locutio *δακτύλῳ δείκνυται ἐπὶ τῶν ἐπισήμων*; et verbum *δακτυλοδεικτεῖσθαι*, de quo Lobeck. in Phryn. p. 623 egit. Haec ad inlitteratum plausum pertinent.

---

66) Temere V. D. in Philos. Transact. XXIII m. 282, 3. et Spence in Polymet. p. 108 retulerunt ad originem lyrae ab animali et pisce i. e. a testudine.

67) Quia rideretur Demosthenes, ridicule hoc adiecisse Horatium Baxterus opinatus est.

68) Jahn. in Pers. p. 85. Leutsch. ad paroemiogr. gr. II p. 856.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Multum quaesitum est de verborum interpunctione, nam plerique verba Romanae fidicen lyrae ad superiora traxerunt. Sunt potius ad posterius colon referenda. Prius enim obiecto non solum potest carere, sed etiam debet, quia ea Horatii significatio in vulgares homines non cadit; alterum vero colon obiecto carere non potest, nisi forte quod relativi pronominis accusativum esse statuimus suspensum ex spiro. Eam interpunctionem praeterea commendat chiasmus, quem poeta in quattuor extremis versibus videtur sectatus esse[69]).

Romanae lyrae fidicinem se vocat cl. III, 30, 13. Ep. 1, 19, 32. Latinus fidicen. Idem expressit Ovid. Ep. ex Ponto IV, 16, 28. Pindaricae lyrae fidicen. Trist. IV, 10, 50.

et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

spirandi verbum a plerisque[70]) de inspiratione poetica explicatur, quod usu nominis spiritus IV, 6, 29. II, 16, 38 commendari videtur. Tantum vero abest, ut idem confirmetur verbis Carm. IV, 2, 25 multa Dircaeum levat aura cycnum (uti visum est Rittero) vel Ovidianis Trist. IV, 10, 115 quod vivo durisque laboribus obsto, gratia, Musa tibi (iis utitur Dillenburgerus), ut haec demonstrent vitae vitalis significationem huc quoque trahendam esse. Adhibeatur quod IV, 9, 10 de Sapphonis carminibus praedicatum est: spirat adhuc amor vivuntque — calores. Quod plausu aequalium iucundissimam vitam agit, Musae beneficio se debere profitetur gratus poeta. Similiter Epist. I, 10, 8 dixit: vivo et regno, simul ista reliqui, quae vos ad caelum fertis rumore secundo.

si placeo arrogantiam vitaturus adiecit. Porphyrion: ἐπιεικῶς intulit et subaudiendum extrinsecus tamen, ut sit: si tamen placeo. — tuum est mutavit Lachmannus in tuumst. Variavit ita poeta quod ante dixerat muneris tuist.

---

69) Nuper bene eam distinctionem commendavit Frid. Vil. Graserus in libello scholastico de Peerlkampi in H. carminibus criticam factitandi ratione p. 28.

70) Grotefend. Zeitschr. f. Alterth. Wiss. 1843. p. 842.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf